
1
Logica
2
Rhetorica
THEORICA
PHILOSOPHIA
PRACTICA
HYPOMNEMATA
LOGICA, 1
RHETORICA 2
PHYSICA, 3
METAPHYSICA
PNEUMATICA
ETHICA 6
POLITICA 7
ŒCONOMICA
Per Jo: P: Coll: Exon:
3
Physica
7
Oxoniæ
Excudebat Impensis suis
Leonar: Lichfield
Academiæ Typographus.
W. Marshall Sculpsit.

x160
P937h

AD EXONIENSIS Collegii Neophytos.

IN Gratiam vestram (ingenui *Adolescentes*) temporibus difficillimis ægerrimè coaluerũt Hęc HYPOMNEMATA; ut ad manum esset *initiandis*, domesticum aliquod qualecunq; *Introductorium*. Solent è *portu solventibus* indicare ab *alto redeuntes*, *Brevia* & *Syrtes* & *ineluctabilia* ferè ejusdem jactationis naufragia: eodem consilio, inter *prolegomena* vobis à me proponantur non intempestivè, *ingressus*, & *progressus* vestri discrimina; ne distrahant aut deterreant, non prævisæ quas aggressuri estis difficultates. Siquidem 1. *Exegeticorum*. 2. *Problemati-* *Cicero pro Murena.*

¶

1054963

blematicorum. 3. *Dogmatiſtarum.* 4. *Dichotomiſta-rum.* 5. *Syſtematicorum.* 6. *Elenctcorum.* 7. *Apho-riſticorum* implicatiſſimi *phalanges*, quem *veteranum* primo aſpectu non darent attonitum? Hiſce verò cum accedant *Heterogeneæ*, *Tautologiæ*, *Paradoxa*, & cujuſvis *Scotiſtæ*, *Thomiſtæ*, *Atomiſtæ*, *Laberinthea* quaſi *Teretiſmata*, quis hic non agnoſceret ſtabulum *Herculeo* vel *ſudore* non exhauriendum? Videatis mihi, vel unicum tricubitalem *Vallium* in *Logicis*, vel duplicatum *Suarez* volumen in *Metaphyſicis*, (ut cæteros mittam infinitos) annon produnt iſta, nil aliud à talibus pædagogis fuiſſe propoſitum, quam ut Diſcipulos ſuos *Saxeos* potius redderant *objectâ Gorgone*, quàm *inſtructos*, ut ad ulteriora tranſmitterentur? Legas, relegas, ad *atomos* uſq; excutias, has *oſtentationis pyramides*, & vix forturitò cum *Gallo* in ſterquilinio, offendes *gemmam* unicam, ſed potiùs cum *vetula* cribrante *plauſtrum pulveris*, unam aut alteram incurvatam *aciculam*, aut cum *mendico* in plicis pallii, *pediculum*. Quid autèm *deſideratius* hæc præſtabunt compreſſiora *Hypommemata*, meum *præſagiri* non eſt, ſed veſtrum *experiri*. quæ ſi *curta* nimiùm videantur, eoq; nomine obſcuriora, intelligatis velim hoc conſultò factum, ut memoriæ facilius imprimerentur, & ſupereſſet quod à *Tutoribus* uberiùs & dilucidiùs vobis explicaretur. *Inſtituendis* enim per alios, hæc ponuntur *lineamenta*, non *αὐτοδιδάκτοις* qui putant ſe poſſe *natare* ſine *cortice*, & ex *Muſtaceo*

laureolam

laureolam *reportare*; tales perpendant hoc *Tetraſticon*

Vidi ego veſicam modico turgeſcere flatu,
Quæ piſis ſonuit quatuor impoſitis.
Hanc puer unus acu tetigit, diſploſa repente
Vilis & abſq; ſono flaccida detumuit.

Vobis intereà ſit hoc ob oculos.

Non quiſquam fruitur veris odoribus,
Hyblæis apibus nec ſpoliat favos.
Si fronti caveat, ſi timeat rubos.
Armat ſpina roſas, mella tegunt apes.

Mea erit *Concluſio* neſcio cujus *depexum*, ſed rei præ manibus *carmen* accommodum.

Si tibi non placeant iſto digeſta Libello,
Si poſſis nobis da meliora precor:
Si meliora nequis ſaltèm da talia tandem,
Talia ſi nequeas, cur minus iſta placent?

Deus O. M. *piis veſtris ſtudiis Benedicat.*

Index Materiarum.

A.

Abdomen 200.
Abſtractio 237.
Accidens 9.
Acontias 174
Actio 20.
Actus 240
Adamas 138.
Adjunctum 73.
Adverſa 23.
Æquipollentia 35.
Æquivoca 11.
Aer 125.
Alteratio 118.
Amphibia 182.
Amphisbena 186.
Ampliatio 38.
Anacoinoſis 110.
Analyſis 95.
Anaphora 108.
Anarchia 341.
Ancillarum officia 117.
Angeli 259.
Angues tricipites Africani 186.
Anguilla 177.
Anguis Martius Cadmi 186.
Anima 202.
Anima Separata 263.
Antepræmedicamenta 10.
Apes Catholicæ 185.
Aporia 110.
Apoſtophe 110.
Aqua 125.
Arbores 158.
Arbuſta 157.
Aries Phrixeus. 185.
Ariſtocratia 341.
Arnegol 185.
Arteria 121.
Aſhteroth 266.
Aſinus 168.
Aſpis 174.
Aſtrologi 278.
Atheiſmus 325.
Atomi. 253.
Aves 162.

Index Materiarum.

Aves Luciferianæ 185.
Augmentatio 117.
Augures 275.
Aurum 144.
Automata 207.
Axiomata 67.

B.

Baal 266.
Basiliscus 174.
Behemoth 185.
Bezoar 142.
Boaz 174.
Bonitas 227.
Bos 167.
Boves Jasonis 185.
Braemannes Indorum 273.

C.

Camelus 167.
Cancri 181.
Canis 168.
Caper 169.
Caput 197.
Carbunculus 138.
Caro 190.
Carpio 180.
Cartilago 191.
Castor 183.
Casus 113.
Catechresis 105.
Cauponatio verbi 85.
Causa 71. 232.
Causatum 72. 234.
Cerberus 185.
Cetus 179.
Chalcedonius 138.
Chaldæorum sapientes 272.
Chasma 135.
Chimera Belerophontis 185.
Cholera 195.
Chrystallus 140.
Chylus 194.
Chymica 207. 218.
Clausuræ 321.
Cœlum 120.
Colocynthis 154.
Coluber 174.
Cometa 129.
Commercium cum Exteris 367.
Communicabile 239.
Comparata 74.
Completum 235.
Compositio 231.
Conchæ 181.
Concupiscibilis facultas 204.

Conje-

Conjecturæ 75.
Conjugata 74.
Conjugium 302.
Conſcientia 204.
Conſentanea 70.
Contemplatio 298.
Contradictoria 24.
Converſio Propoſitionum 36.
Corvus 169.
Cos 143.
Creatio 117.
Crocodilus 183.
Cultiræ 321.
Cuniculus 170.
Cutis 190.

D.

DAgon 266.
Deaſtri 265.
Definitio 27.
Delphinus 179.
Democratia 341.
Demonſtratio 62.
Denominativa 11.
Dependens 235.
DEUS 257.
Differentia 8.
Dilemma 60.
Diſparata 23.
Diſſentanea 73.
Diſtinctio 230
Realis 229.
Formalis 236.
Modalis 241.
à ſe totis ſubjectivè & objectivè 246.
Diverſa 23. 245.
Diviſio 29.
Diviſiones Anteprædicament. 12.
Dominorum officia 308.
Dorſum 200.
Draco 175.
Draco Africanus 186.
Dumeta 322.
Duratio. 224.
Dyſtichiſmus 327.

E.

ECphoneſis 109.
Educatio 356.
Elementa 123.
Elenchus 77.
Elephas 167.
Emphaſis 105.
Entis Principia 223.
Modi 225.
Diſtinctiones 229.

Enthysiastæ 278.
Enthymema 58.
Epanalepsis 108.
Epanodos 108.
Epanorthosis 110.
Epicurismus 325.
Epistrophe 108.
Epizeuxis 107.
Equus 167.
Essentia 223.
Ethica 281.
Exceptio 38.
Excrementa 195.
Exemplum Syllogist. 59.
Exercitia 302.
Existentia 224.
Exorcismi 278.

F.

Fallaciæ 77.
In Dictione 81.
Extra Dictionem 85.
Famulorum officia 317.
Fatidici 272.
Fauni 269.
Femora 201.
Figuræ Syllogismorum 46. &c.
Figuræ Rhet. 107.
Fœdera 368.
Fœlicitas 285.
Forma 113.
Formicæ Indicæ 185.
Fortuna 113.
Fruges 152.
Fulmen 130.
Fungi 150.

G.

Galaxia 135.
Gemmæ 137.
Genesis 100.
Genii 270.
Genus 5.
Glacies 131.
Græcorum Vates 274.
Gramen 153.
Grando 131.

H.

Habendi modi 25.
Habitus 21.
Halo 135.
Harpiæ Virgilianæ 185.
Herbæ 151.
Heroes 269.
Hippocampus 180.
Hippogriphes 185.
Histrix 172.
Homo 188.

Humidum radicale 194.
Humores 194.
Hydra Lyrnea 186.
Hyena 171.
Hyperbole 104.

I.

IDeæ Platon. 254.
Idem 245.
Idola 254.
Ignes fixi & discurrentes 129.
Ignis 124.
Ignis fatuus 129.
Impossibile 244.
Inanitates 254.
Incorruptibile 232.
Independentia. 234.
Individuum 3.
Inductio 59.
Infinitum 230.
Inopinabile 78.
Insecta 164.
Intellectus 203.
Irascibilis facultas 204.
Iris 135.
Ironia 106.
Ismaelitismus 326.
Jumenta 167.

L.

LAc 195.
Lacerti 200.
Lamia 180.
Lapides 137.
Lares 270.
Legati 368.
Leo 170.
Leo è Sylva Elah 185.
Leo Piscis 181.
Lepus 169.
Lepus Piscis 181.
Leviathan 186.
Lex 343.
Liberorum officia 307.
Ligamentum 194.
Limitata 75.
Lini & Glasti beneficium 322.
Locale 235.
Localis motus 118.
Locomotiva facultas 204.
Locus 118.
Locustæ 181.
Logica 1.
Logica Docens & Utens 62.
Lucius 177.
Lupus 171.
Lutra 183.

M.

Magi 272.
Magia naturalis 207.
Magistratus 347.
Magnes 140
Magnetica 207.
Marmor 140.
Mandragoras 154.
Mariti officia 304.
Mares 172.
Materia 113.
Matris-familias officia 315.
Matrum officia 307.
Melancholia 195.
Membrana 191.
Menstrua 195.
Mensura 243.
Mercurius 125.
Metalla 144.
Metallica 146.
Metaphora 106.
Metaphysica 220.
Meteora 128.
Methodus 90.
Metonymia 105.
Mixti compositio & Dissolutio 126.
Mnemonica 207.
Modi Syllogismorum 46.
Moloc 266.
Monachus Amphibion 183.
Monarchia 336.
Monoceros 170.
Monstra 184.
Motus 25. 116.
Mugil 178.
Mulus 168.
Mundi descriptio 209.
Murex 182.
Musculi 193.

N.

Nabalismus 326.
Naturæ dictamina 65.
Nautulus 181.
Necessitatis Gradus 64.
Necromantici 277.
Nihil 253.
Nix 131.
Non-Ens 252.
Nubes 130.
Nugatio 78.
Nuptiæ 302.
Nymphæ. 270.

O.

Oeconomica 300.
Oligarchia 341.
Olocratia 341.
Olus 151.
Onerocritica 207.

Opobalſamum 147.
Oppoſita 22.
Oppoſitio Propoſitionum 34.
Oracula 276.
Orca 179.
Ordo 228.
Oſſa 191.
Oſtreæ 181.

P.

PAgrus 178.
Paludum exſiccatio 322.
Panthera 171.
Parabolæ 282.
Paranomaſia 108.
Paraſelene 135.
Parelius 135.
Parentum Officia 306
Paſſio 20.
Paſſiones 289.
Patris-familias Officia 314.
Patrum officia 306.
Pectus 199.
Pegaſus Perſii 185.
Penates 271.
Perfectio 228.
Per ſe 65. 239.
Perſonalitas 224.
Phariſæiſmus 327.
Philoſophia 215.
Phocas Piſcis 180.
Phœnix 183.
Phyſica 111.
Phyſiognomia 206.
Piſces 176. &c.
Piſcis volans 183.
Pituita 195.
Planetæ 121.
Pneumatologia 256.
Politica 335.
Polyptoton 108.
Polypus 183.
Pomaria 322.
Porcus 169.
Poſſeſſiones 310.
Poſterius 243.
Poſtprædicamenta 22.
Poſtulata 67.
Potentia 240.
Præcognita 63.
Prædicabile 3.
Prædicamenta 14.
Prædicatio 12.
Præſtigiatores 278.
Principia 64.
Principia Phyſica 112.
Privantia 24. 253.
Privatio Phyſica 113.
Prius 24. 245.
Propoſitio 27. 33. 38.
Proprium 9.

Prosopopeia 110.
Prudentum responsa 66.
Pulchritudo Entis 229.
Putredo 126.
Python Ovidianus 185.

Q.

Quadrupedes 166.
Qualitas 19. 250.
Qualitates Elementares 124.
Quando 21.
Quantitas 15. 249.

R.

Rana 183.
Ens Rationis 240.
Recreationes 362.
Reductio Syllogismorum 51.
Regressus 68.
Regulæ Antepræd icamentales 13.
Regulæ Syllogismorum 42.
Regulus Monstrum 186.
Relatio 17.
Relata 23.
Religionis cura 370.
Remphan 267.
Reptilia 173.
Respectivum 283.
Restrictio 38.
Rhetorica 105.
Rhombus Piscis 178.
Rinoceros 170.
Ros 131.
Rosæ 155.
Ruc Monstrum 185.

S.

Sagi 278.
Sal 125.
Salmo 177.
Sanguis 194.
Saphyrus 138.
Satyræ 282.
Satyri 270.
Schemata Rhet. 109.
Sciurus 172.
Semidii 269.
Sensibilia 198.
Sensus 197.
Sepia 180.
Serpentes 173.
Servorum conditiones 308.
Sibillæ 275.
Signum 243.
Simia 172.
Simul 24.
Situs 21.

Smaragdus. 138.
Solæciſmus. 78.
Somnus. 199.
Sophiſtarum Metæ. 77.
Subterfugia. 79.
Sophiſticus Syllogiſmus. 77.
Sorites. 60.
Species. 6.
Spiritus, pars Hominis. 194.
Stella cadens. 129.
Stellæ. 21.
Sturio. 178.
Subditi. 352.
Subjectum. 73.
Subſiſtentia. 224.
Subſtantia. 14. 248.
Succi Metallares. 146.
Succoth Benoth. 267.
Suffrutices. 156.
Sulphur. 125.
Suppoſitio. 37.
Suppoſitum. 224.
Syllogiſmus. 40. 44.
Synchoreſis. 110.
Syncedoche. 106.
Syren. 181.

T.

TAmmuz. 267.
Taxus. 171.
Tempus 119.
Tendo 194.
Termini in Syllogiſmo 41.
Terra 125.
Terræ motus 133.
Terræ pretioſæ 148.
Teſtimonium 75.
Teſtudo Quadrupes 170.
Teſtudo Piſcis 181.
Thaumaturgica 206.
Thema 69.
Thraſoniſmus 326.
Tibiæ 201.
Tigris 170.
Topicus Syllogiſmus 69.
Torpedo 180.
Totum 242.
Tranſcendentia 221.
Triticum 152.
Triton 181.
Tropi Rhet. 104.
Tubera 150.
Tyrannis 339.

V.

Vates Græcorum. 274.
Ubi 21.
Vegetabilia 149.
Vena 191.
Ventus 132.
Veritas 227.
Violentum, forma Syllogismi 61.
Vipera 175.
Virgæ 135.
Virtutes 291.
Viscum 150.
Unitas 226.
Universale 4. 239.
Univoca 11.
Voluntas 203.
Ursus 171.
Vulpes 171.
Uxorum Officia. 304.

X.

Xiphias 179.

Z.

Zizania 185.

TRACT.

TRACT. 1.

CAP. I.

De Logica, & Prædicabilibus in genere.

LOGICA artificialis, est Doctrina quæ dirigit rationem innatam, ad quodvis intelligibile, dexteriùs librandum & discutiendum.

ΕΙΣΑΓΩΓΗ. *Omnis Ars omnisq; Doctrina, id quod naturæ deest, vult implere.* Arist. Polit. l. 7. c. 17. in fine. Zeno *apud* Ciceronem *de Oratore.*

2. Estq; { 1. Palmaris. vel { 2. Pugillaris.

3. Logica *Palmaris* expanditur in *Dialogismis, Panegyricis, dissertationibus forensibus* & id genus aliis, qualis occurrit *Socratica, Platonica, Ciceroniana* apud *veteres*, & hodiernus *Causidicorum* litigandi modus, apud *Recentiores*.

4. *Pugillaris* pugno assimulatur, estq; { 1. Obscurior. vel { 2. Purior.

5. Obscurior habetur *Lulliana*, de qua consules *Agrippam, Toloſſanum, Lavinhetam*, &c.

6. Purior æstimanda est *illa*, quæ à *tricis* istis,

&

& *heterogeneis commentis*, est immunior.

7. Eaq; rursus est vel { 1. *Laxior.* 2. *Contractior.*

1. *Laxior* invenitur *peripatetica*, ob congestas dissidentium *rixas*, & *subtilitates* nugatorias, quibus implicantur potius *teneriores*, quam (ut oportet) instituuntur.

9. *Contractior*, censeatur *Ramistica*, sed multiplicatis plerumq; *dichotomiis*, memoriam frequentius *obruit*, quam intellectum *informat*.

10. Itaq; *Temperatum*, & *Harmonicum* talis *Logices systema* videtur *ayronibus* accommodatius, quod nec *prolixitate* deterreat, nec *minutiis* detineat, nec *curta* nimis *suppellectile*, cultores dimittat *vacuos*. quale meditamur in sequentibus.

λογικὴ διαλεκτική

11. Hujus autem *Systematis* septem statuantur *Tractatus* de { 1. PRÆDICABILIBUS. 2. PRÆDICAMENTIS. 3. PROPOSITIONIBUS. 4. SYLLOGISMIS. 5. METHODIS. 6. ANALYSI. 7. GENESI.

12. E quibus *quinque* priores, præcepta *inveniendi* & *judicandi*, juxta *triplicem* intellectus *operationem* nempè 1. *Apprehensionem* simplicium, 2. *Compositionem* & *divisionem*, 3. Et *Discursum*; duo *posteriores*, *praxin* totius hujus artificii exhauriunt.

13.

13. *Prædicabile* est vox *simplex*, quæ de *aliis*, ipsi subjectis, apta est *prædicari*. Καθολου.

14. Idq; vel de { 1. *Uno solo*, ut *Individuum*. Confer. Porphyr. Isag. c. 2. Pluribus, ut *Categorema* sive *Universale*.

15. *Individuum* est *prædicabile* constans ex *proprietatibus*, quarum *collectio* nunquam in aliquo alio esse *eadem* potest, ut *Socrates*; quædam *Linea*; hic *pater*. *Proprietates* istæ sunt, 1. *Forma*, 2. *Figura*, 3. *Locus*, 4. *Stirps*, 5. *Nomen*, 6. *Patria*, 7. *Tempus*. Ατομον.

16. Hoc in *rationalibus*, dicitur *Persona*, in *substantiis*, *suppositum*. in *accidentibus* & indefinitis *singulare*. Προσωπον. Υποστατον. Ο καθ' ἑκαστον. Το καθ' ἑκαστον.

17. Individua primario per se { 1. *Existunt*. Omne enim quod existit singulare est. 2. *Agunt*. quia omnis actio est *singularium*. 3. *Sentiuntur*. restricta ad *hic* & *Nunc*.

18. Non cadunt tamen *sub scientiam*. Ideoq; jubet *Plato* nos descendere ad *Individua* in disciplinis *tradendis*, quia secundum nos sunt *Infinita*.

19. *Individuum* autem est vel
- 1. *Signatum* quod *signo* aliquo innotescit, estq; vel
  - 1, *Simplex*, sive *determinatum* quod *peculiari* nomine enuntiatur, ut *Aristoteles* &c.
  - 2. *Complexum* quod effertur *pluribus* estq; vel
    - 1. *Demonstrativum* pronomine indicatum, ut *hic homo*.
    - 2. *Ex hypothesi*, quod circumloquimur, ut *Sophronisci filius* pro *Socrate*.
- 2. *Vagum*, quod *incertum* denotat, ut quidam homo *Latinorum*. *δεῖνα Græcorum*. *Peloni Almoni* seu *Palmoni Hebræorum*.

Arist. de Interp. c. 7. κατηγόρημα καθ' ὅλου. *1. Poster. c. 24. text. 43.*

20. *Universale* est *prædicabile* quod pluribus *natura* aptum est inesse, & de *iisdem* prædicari *univoce*, ut *Animal*, *color*, unde illud, *Quicquid dicitur De, debet esse In*: & *Universalia* sunt *æterna*, *semper*, & *ubiq;* nempe ad positionem suorum *singularium*. Idemq; ferè sonant *universale* & *singulare* apud *Logicos*, quod nomen *Appellativum* & *proprium* apud *Grammaticos*.

21.

21. Talia *Prædicabilia* numerantur quinq;
1. *Genus.*
2. *Species.*
3. *Differentia.*
4. *Proprium.*
5. *Accidens.*

γένος, εἶδος, διαφορά, ἴδιον, συμβεβηκός.

QUÆSTIONES.

An
1. *Logica artificialis sit necessaria ad cæteras scientias discendas & docendas?* A.
2. *Universalia per operationem Intellectus, ab Individuis ducant originem?* A.
3. *Sint quinq; tantum Prædicabilia?* A.

CAP. II.

De Genere & Specie.

1. GENUS est prædicabile quod de pluribus *specie differentibus*, in *Quid* enuntiatur, ut *Animal* de *Homine*, & *Bruto*. Itaq; γένος.

2. *Actu* non continet *suas* sub se *species*, sed *virtute* tantum & *potentia*, ut *Animal Actu rationale* & *irrationale* non dicatur, sed *vel hoc vel illud* potestate. &

3. *Natura* prius est *specie*, ut constituens constituto. unde

4. *Sublato genere* tolluntur omnes ei *subjectæ*

species. ut ex *interitu* Animalis, *Homo* & *Brutum* in fumos abeunt.

5. *Genus* est vel { 1. *Summum* αἰώτατον. 2. *Subalternum* ὑπάλληλον.

6. *Summum* est cui non datur aliquod in *sua serie compar*, aut *superius*. cujusmodi sunt *Substantia*, *Quantitas*, & *reliqua prædicamentalia*.

7. *Subalternum* est quod diversimode *relatum*, tam *species* esse potest, quam *genus*. ut *Animal*, quod hominis *substrati* est *genus*, respectu *viventis* est *species*.

εἶδος. 8. *Species* est prædicabile, quod de pluribus *numero differentibus* in *Quid* eodem modo affirmatur, ut *Homo* de *Socrate* & *Platone*.

9. Tota ejus *natura* in *uno Individuo* conservari potest, ut *generis* in *una specie*: ita posito *Socrate* ponitur *homo*, *Animal*, & tota series in *Arbore* quæ dicitur *Porphyriana*. sic vulgo disposita,

Substantia.

Incorporea	Corporea.

Corpus.

Inanimatum	Animatum.

Vivens.

Insensibile	Sensibile.

Animal.

Irrationale	Rationale

Homo.

Socrates, *Plato*, *Aristoteles*.

de qua *Burlei* rithmus

Arbor sum plana quæ vocor porphyriana.
Mater sum Litis, non nota nisi peritis.

10. Species est vel { 1. *Subalterna* ὑπάλληλος. / 2. *Specialissima.* εἰδικώτατος.

11. *Subalterna* sic se habet, ut respectu *superioris*, sit *species*: ratione *Inferioris*, sit *genus*, ut Animal cum sit *species viventis*, est *genus* hominis.

12. *Specialissima* sic species est *Individuis* proxima, ut nunquam *genus* fiat, qualis *Homo* censetur respectu *Socratis* & *Platonis*.

QUÆSTIONES.

An { 1. *Tota generis natura conservetur in una specie?* A. / 2. *Sola species sit capax exactæ definitionis?* A. / 3. *Species specialissima naturam generis possit induere?* N.

7. Metaph. 44. 13.

CAP. III.

De Differentia Proprio & Accidente.

1. VT commune est *Generi* & *Speciei* in *Quid*, ita convenit *Differentiæ* & *Accidenti*, tam *proprio*, quam *communi* in *Quale* prædicari, Hoc tamen cum discrimine, quod *Differentiæ*, *formalis*, *proprii*, *reciproca*; sed *Accidentis communis*, *contingens* sit tantum *predicatio*. unde

διάφορα. κατηγορούμενον.

2. *Differentiæ*, statuitur *prædicabile*; quod de pluribus differentibus *specie*, vel *numero* in *quale quid*, effertur. ut *sensibile* de *Homine* & *Bruto*, *rationale* de *Homine*, & subjectis *Individuis*. Itaq;.

ἐν τοῖς 1. τί ἐστι. 2. ὁποῖον τί ἐστι.

3. Ut est *divisiva* generis, & *constitutiva* speciei: ita est vel 1. *Specifica* ut *rationale*. vel 2. *Numerica*, ut *forma particularis*, *Individuationis principium*.

ἴδιον.

4. *Proprium* est *Prædicabile*, quod universim *suæ speciei* (cujus est proprium) & *soli* & *semper* convenit. unde *Accidentaliter*, *necessario*, & conversim de *eadem* dicitur. ut *risibile* de *Homine*, de Equo *hinnibile*. Intelligo hic proprium quarto modo. quod

5. Fluit à *principiis speciei* ut *Risibilitas* ab *Animali*, & *rationabilitate*; cumq; *formæ* rerum & *differentiæ* nos latent, assumuntur plerumq; *propria*, quæ ipsarum vicem in *definitionibus* suppleant, quia ut *differentia* habetur; *essentiale constituens*:

Aquinas de generat. l. 1. te. 8.

stituens: sic proprium succurrit, ut *essentiale consequens*.

6. Accidens est *prædicabile* quod *adesse* potest, & *abesse* sine subjecti interitu. Ideoq; *contingenter* tantum, & non *reciprocè* de *subjecto* prædicatur, ut *Calor* de *Igne*. συμβεβηκὸς.

7. Utcunq; autem quædam interiunt *accidentia*, ad *amotionem Causæ*, ut *lumen* in aëre, ad *solis*, aut *candelæ* subductionem, aut *relationes* ad *defectum* termini, ut *paternitas* per prolis *mortem*. 1. *Semper* tamen *inhæret* in aliquo *subjecto*, non *aptitudine* solum, sed *actu*. 2. Nec *migrare* potest a *subjecto* in *subjectum*. 3. Nec idem *numero* potest esse, in *diversis subjectis*, ut eadem numero *quantitas* in pane *consecrato*, & Christi *corpore*.

8. Nihilominus habeatur vel { 1. *Separabile*. χώριστον / 2. *Inseparabile*. ἀχώριστον

9. *Separabile* est quod reipsa à *subjecto* potest separari, ut *Albedo*, *Dormire*.

10. *Inseparabile* est, quod actu à *subjecto* separari nequit, sed *conceptu* tantum, ut possum *Corvi* naturam perpendere nulla habitâ *nigredinis* ipsius ratione, quinimò eundem possum esse *album* concipere, absq; *essentiæ* ipsius violatione, quod de *proprij præcisione* affirmari non potest.

QVÆSTONES.

An { 1. *Differentia numerica Individuationis sit principium?* Aff.
2. *Proprium unius naturæ, sit alteri sine contradictione communicabile?* Neg.
3. *Accidentis esse dependeat ab Inesse?* Aff.

TRACT.

TRACT. II.

De Prædicamentis

CAP. I.

De Antepradicamentis.

Confer. Aristotelis Categorias.

1. PRædicabilibus subnectuntur *Prædicamenta*, quæ absq; *prævia* istorum *cognitione* intelligi vix possunt.

2. Horum distribuitur *Doctrina* in
   1. *Antepradicamenta*, adumbrātia rerum *formalitates*
   2. *Predicamenta*, digerentia *Realitates*.
   3. *Postprædicamenta*, suggerentia *Modalitates*.

τὰ πρὸς τὰ κατηγορίων.

3. *Antepradicamenta* præmittuntur, ut exactiùs intelligatur cujuslibet *Categoriæ* cum omnibus suis annexis formalis *Oeconomia*.

4. Sunt autem *tria* in *genere*, & *septem* in *speciæ* quæ insinuant, (nescio an ad *mentem* authoris) cujusq; *artis* aut *scientiæ systema*, ex *Definitionibus*, *Divisionibus*, & *Regulis* constare, ut videre

videre est in recentioribus *Methodistis*.

5. Tria ista in genere sunt 1. *Tres Definitiones*, 2. *Duæ Divisiones*, & 3. *Duæ Regulæ*.

6. Prima *Definitio* est *Æquivocorum*, qualia habeantur ea, Quorum *Nomen solum* commune est, sed ad illud nomen accommodata *Definitio* est diversa, ut Canis *piscis* & *quadrupedis*, idem *nomen* est, sed *diversa* definitio, *Itaq;*. ὁμώνυμα.

7. *Æquivoca* sunt prius *distinguenda*, quam *definienda*, aut in *serie prædicamentali* Collocanda. Ut *Canis* in *prædicamento*, aut *scientia*, locum non teneat; priùsquam constet ex *distinctione*, an *piscis* sit admittendus, vel *Quadrupes*. 6. Top. c. 2.

8. *Univoca* statuuntur 3, 2, quorum *nomen* non tantùm est *commune*, sed ad illud *nomen* accommodata *Definitio*. Sic *nomen Animalis*, non solum *homini* & *Bruto* est commune, sed & *Animalis Definitio*. Quod sit *corpus animatum* sensibile. συνώνυμα.

9. Tertia *Definitio* est *Denominativorum*. Quæ habent ab *ullo* nominis *appellationem*, quod illis inest in *abstracto*, ut in concreto prædicetur. Unde, quia *Abstractum* clementia inest *Carolo*, *Carolus* in *Concreto* Clemens dicitur. *Forma* inest *materiæ*, ergo materia est *formata*, *Deitas* inest *Christo* homini, ergo Christus *homo* est *Deus*. παρώνυμα.

10. *Inessendi* autem *modi octo* vulgò statuuntur, juxta *versiculum* memorialem.

Inest 1. *Pars*. 2. *Totum*. 3. *Genus*, & 4. *Species*. 5. Calor igni. 6. *Res* in Regno. 7. *Res* in fine. 8. *Loco*, Locatum, ex quibus omnibus

emergit,

emergit, vel in *recto*, vel in *obliquo*, prædicatio, Idcircò.

11. Cùm aliud de alio prædicatur, vel 1. *æquivocè*, ut *Canis* de *Animali* & *stella*, vel 2. *univocè*, ut *Animal* de *homine* & *Bruto*. vel 3. *Denominativè*, ut *Clemens* de *Carolo*. vel 4. *Tropicè* ut *Homo Bulla*, vel 5. *Illativè* ut si cupidè didisceres tum multa disces, vel 6. *divisivè* ut *vir* solitarius est, vel *Deus*, vel *Dæmon*, vel 7. in *obliquo*, ut in principio creavit *Deus Cælum* & *Terram*: *Univoca* tantum locum in *predicamentis* inveniant, exclusis alijs *prædicandi* formulis.

διαίρεσις τῶν λεγομένων.

12. Ex Duabus Divisionibus *Prima* est *vocum* in 1. *simplices*, ut *Homo*, *Currit*, vel 2. *Conjunctas* ut *Currit Homo*, & ostendit non *Conjunctas*, sed *simplices* tantum in *prædicamentis* esse collocandas quod ingerunt plenius *versiculi*.

τὰ 1. ἄνευ συμπλοκῆς.

Ista Categoriis non possunt verba locari, directe scilicet,

2. κατὰ συμπλοκὴν.

Vox artis, *Consignificans*, *privatio*, *fictum*.

Pars, *Deus*, *excedens*, *complexum*, seu *polysemon*. *reductivè* tamen illic locum obtineant, nisi *excedentia* sint, vel prorsus *transcendentia*, qualia numerantur.

Ens, *Res*, *Unum*, *Aliquid*, *verum* conjunge *Bonumq́*. Quæ de *summis* generibus prædicantur, ut *substantia*, & *quantitas* sunt *Ens* & *res* &c. De quibus in *Metaphysicis*.

τῶν ὄντων αὐθυπόστατα ἑτερυπόστατα.

13. *Divisio secunda* est rerum in 1. *substantiam* & *Accidens* juxta illud.

Summus Aristoteles, *trutinando Cacumina Rerum*

In

In duo divisit, quicquid in Orbe fuit.

Nempe in *substantiam* & *Accidens*, è quibus primum prædicamentum complectitur *substantias*, reliqua novem *Accidentia*.

14. E duabus *Regulis*, *Prima* est *Cognatorum* & præcipit quod quicquid *Prædicatur* de *prædicato*, (in eadem *serie prædicamentali*) *prædicabitur* etiam de *subjecto*, ut quia *vivens*, & *corpus*, prædicantur de *animali*, à primo (ut loquuntur) ad ultimum prædicabuntur de *homine*.

κάνων πρῶτος ὁμογενῶνες συγγενῶν.

κάνων δεύτερος ἑτερογενῶν.

Secunda *Regula* est *Heterogeneorum*, sub hisce terminis. Diversorum *Generum*, & non *subalternatim positorum*, *diversæ* sunt *species*, & *diversæ differentiæ*, ac si diceres, diversarum familiarum, *diversi Domini* sunt, *liberi* & *servi*, sic in *substantia*, *quantitate*, & *qualitate*, diversas observes *species*, & *differentias*.

QVÆSTIONES.

An
1. *Quælibet scientia, per definitiones, Divisiones & Regulas commodè tradatur?* Aff.
2. *Æquivocorum, univocorum, & Denominativorum, Cognitio, necessario conducat, ad pleniorem prædicamentorum notitiam?* Aff.
3. *Duæ Divisiones, & Regulæ, dispositionum prædicamentalium, convenientiam, & differentiam rectè designant?* Aff.

CAP. II.

De Prædicamentis.

κατηγορία 1. PRædicamentum est *Prædicabilium Homogeneorum*, juxta *distinctas* rerum *Classes* secundum *sub* & *supra*, Ordinatio.

2. Tales *Catagoriæ* (ut vulgo etiam audiunt) statuuntur *Decem* 1. Substantia 2. Quantitas, 3. Relatio 4. Qualitas 5. Actio 6. Passio 7. Ubi 8. Quando 9. Situs 10. Habitus, disticho hoc exhibitæ.

διὰ ταξις τῶν ὄντων

Arbor, *Sex*, *Servos*, *Fervore*, *Refrigerat*, *ustos*, *Ruri*, *Cras*, *Stabo*, nec *tunicatus ero*, quo spectat etiam & illud.

Nato Socrate nascuntur omnia *prædicamenta*, quia talem *substantiam*, *parvulam*, talis parentis *prolem*, sic *qualificatam*, *vagientem* in *fasciis*, comitantur necessario, *loci*, *temporis*, & *situs* etiam & *habitus* circumstantiæ.

3. Substantia est *Classis* rerum *per se subsistentium*, *existentium*, & *essentium*, quæ omnes ὑσίας, ὑποστάσεις: & ὑφιστάμενα (unde *Hexameri prædicamentum* jure nuncupatur) à Deo creatas ad Minimam *usq; pulverem* complectitur.

4. Non *inest* in *subjecto*, 1. Nec alteri *contrariatur*, sed tantum *disparatur*, 3. nec suscipit *ma-*

gis

gis & *minus*, nec enim *Elephas* pulice, *magis* eſt *ſubſtantia*, licet infinities pænè ſit *major*. 4. Sed *ſubjectum* fiat omnium *Accidentium*, & 5. cum *Idem* maneat *numero*, *contraria* ſucceſſivè ſuſcipiat, ut Idem *homo* nunc *calidus* inveniatur, nunc *frigidus*. μᾶλλον καὶ ἧττον.

5. Eſtq; vel { 1. *Prima* πρώτη. 2. *Secunda* δευτέρα.

6. Prima *ſubſtantia* eſt quæ neq; de *ſubjecto* aliquo dicitur, neq; in *ſubjecto* aliquo inhæret, ut *Socrates*, hic *equus*.

7. Secundæ *ſubſtantiæ* dicuntur. *Species* & *genera*, quæ quaſi gradatim aſcendunt à primis in eadem ſerie, ut *univocè* de illis, & de ſe invicem prædicentur. cujuſmodi ſunt *Homo*, *Animal*, *Corpus*, ad ſummum *genus* incluſivè.

8. *Quantitas* complectitur ſuo ambitu omnia *commenſurabilia*, ex qua aliquid *quantum*, vel *quotum* vel *ponderoſum*, in *Mathematicis*, aut *Horopicis* denominetur. ποσὸν.

9. Huic nihil etiam eſt *contrarium*. 2. Nec ſuſcipit *magis* & *minus*. 3. Licet ipſi *proprium* ſit maxime, aliquid *equale*, vel *inequale*, *par* vel *impar* juxta eam dici, ratione *extenſionis*, *Numeri*, aut *ponderis*. ἴσον ἄνισον.

10. Eſtq; vel { 1. *Diſcreta*, ſive *Multitudo*. διωρισμένον 2. *Continua*, ſive *Magnitudo*. συνεχές.

11.

11. *Quantitas* discreta, est cujus partes communi aliquo termino non copulantur.

ἀριθμὸς λόγος

12. Ejus duæ censentur *species*. 1. *Numerus* & 2. *Oratio*, quibus *Pondus* à nonnullis solet accenseri.

ἄχμος seu σταθμὸς πλήθος

13. *Numerus* est *multitudo* ex *unitatibus* conflata. *Oratio* ex syllabarum *momentis* conficitur. *Pondus*, *gravium* & *Levium*, ex Mechanicorum æstimatur censu. in *Arithmeticis*, *prosodicis*, & *Isoropicis* libratius expendenda.

μεγέθος

14. *Continua* quantitas est *magnitudo*, cujus *partes* communi *termino* copulantur.

γραμμὴ

1. *Linea*, longitudo expers Latitudinis, terminata à puncto indivisibili.

ἐπιφάνεια

2. *Superficies*, Longa & lata tantum, absq; profunditate. *Lineis* ubivis obsepta.

σῶμα

3. *Corpus*, *Longum*, *Latum* & *Crassum* superficie sua *convexa* undiq; involutum.

τόπος

15. Estq; vel

4. *Locus*, quod est *adæquatum* cujuslibet corporis *receptaculum*, concava superficie corporis (si quod ambiat) definitum.

χρόνος

5. Tempus *mensura durationis*, rei in sua *existentia*, secundum *prius* & *posterius* præteritum & futurum ad Instans Limitata. quæ *Geometriæ*, & *Chronologiæ* pensa sunt peculiaria.

16.

16. Relatio exhibet *Reſpectuum* claſſem, quæ vel *Naturâ*, vel *fortuitò*, vel *arte*, vel *electione*, inter *Relata* & *correlata* emergunt. ubi intelligenda ſunt *Relata*, non *ſecundum Dici*, qualia ſunt vel *partium* ad *totum*, vel accidentium ad ſubjecta. Sed 1. φύσει. 2. τύχῃ 3. τέχνῃ 4. θεσει. ρέζει Damaſcen

17. *Relata* ſecundum *eſſe*, quæ id *quod ſunt* aliorum eſſe dicantur, vel quocunq; alio modo ad *aliud* referuntur. Sic *eſſe Regis* eſt *relatio* ad *Regnum*: eſſe patris ad *filium*: ſine qua, nec *Rex* aut *Pater*, *eſſe*, aut, *dici*, aut *intelligi* aut definiri poteſt. τὰ θεσεις τῶ 1. καὶ ἐν 2. χρὴ λέ γεσθ.

18. Ergo *Relatio* nil aliud eſt, quam *Reſpectus* realis *conſurgens*, inter *Relatum*, in *Abſoluto* fundatum, & *correlatum* terminans, ſic *paternitas* fundata in genitore qui habet prolem, terminatur ad *filium* correlatum, cujus reſpectu ſit *pater*. Et σχέσις

19. *Relatum* per *Rectum*, correlatum per *caſum* obliquum facile dignoſcatur. ut *Dominus* eſt *ſerui Dominus*. hic *Dominus* eſt *Relatum*, ſervus *correlatum*, ad quod terminatur, *dominium*, quod inhæret in homine dominante tanquam in ſubjecto, ſed vice verſa, ſi dicatur *Servuus* eſt *Domini* ſervus. Dominus fit *correlatum*, quo terminatur *ſervitus*, ſubjectivè inhærens, homini *ſervienti*, qui locum tenet *Relati*. Itaq;

20. *Relata* & *correlata*, ſic ſunt, 1. *Simul Natura*, ut 2. *Poſito* uno, ponitur & *alterum*, & 3. Sublato *uno* tollitur & *alterum*, & 4. *Cognito* uno, cognoſcitur & *alterum*. ob 5. Mutu- ἅμα τῇ φύσ. ζεις θεσις ἀντιστρέ φοντα.

am inter ſe *reciprocationem*. unde 6. neceſſe eſt ut mutuo ſe *definiant*. non ut 7. *Entia* ſed *Entium reales reſpectus*. Sic *homo* poteſt eſſe, ſed non *Pater* ſine *Filio*, quo ſublato, *Pater* eſſe definit, nec ut talis *agnoſcitur*, quia omnis *Pater* eſt *filii* pater, & Is definitur eſſe *pater* qui habet filium, nec pro filio æſtimetur parentibus orbatus.

21. Relata obſervantur eſſe ulteriùs vel

1. *Æquiparantiæ*, cum correlata eorum, inveniantur cum illis ejuſdem eſſe *nominis*, *dignitatis*, & *fundamenti*, ut *Amicitia* inter *pares*, vel æqualitas inter *æquales*.
2. *Diſquiparantiæ*, ut inter Regem & ſubditos Patrem & filium, Doctorem & Diſcipulum: ubi agnoſcenda eſt *ſuperioritas* & *ſubjectio*.

πατρότης
υἱότης
ὁμοιότης

22. In hujus prædicamenti *horto*. 1. *Conſanguinitatis* & *Affinitatis* creſcunt *Arbores*. 2. In ipſius *Latifundiis*, conſpiciuntur omnes *dignitates*, & conditionum *officia*. 3. In ejus *foro* conſignantur, omnes *pactiones*, & *contractus*. Cum *ſignis* & *ſigillis*, ut *limitum* & *Sacramentorum*, & (ſi quid id genus) aliis. Quæ nil aliud ſunt quam rerum. 1. *Adplicationes* ut veſtimenti ad veſtitum, vel 2. *Ordinationes* ut Genitoris ad genitum, vel 3. *Collationes*. ut Lactis ad Nivem ratione

ione *Albedinis*. vid. *Melanch. Dialect.* 1.

23. *Qualitas* eſt ſeries, *Quales* denominantium, quæ 1. Sola agit. 2. Contrarietatem admittit. 3. Magis & minus agnoſcit. 4. Et *ſimilitudinis* & *diſſimilitudinis* eſt primarium *fundamentum*. ποιότης

24. Ejus ſpecies ſunt
1. *Habitus* & *Diſpoſitio*. ἕξις καὶ διάθεσις
2. *Naturalis Potentia* & *Impotentia*. δύναμις καὶ ἀδυναμία φυσικὴ.
3. *Paſſio* & *patibilis qualitas*. πάθος καὶ παθητὴ ποιότης.
4. *Forma*, & *figura*. μορφὴ καὶ σχῆμα.

25. *Habitus* eſt *qualitas* vel *Infuſus* à Deo, ut *fides*, *ſpes*, *charitas* (ad quas *animalis homo* non aſſurgit) vel multis diſpoſitionibus acquiſita, quæ difficulter à *ſubjecto* amoveatur, ut *ſcientia*, *virtus*.

26. *Diſpoſitio*, verò cito *mutatur*, & *obliteratur*, ut *tyrocinium* alicujus *artis*, vel virtutis *ſpecimen*.

27. *Naturalis potentia* eſt innata *qualitas*; ſequens *formam* ſubjecti, ipſumq; reddens aptum ad *agendum*, & *reſiſtendum* adverſanti, hac *pugiles* fiunt apti ad *luctam*, & inſtructi *Naturali Logica*, ad artificialem promptius imbibendam.

28. *Naturalis Impotentia* è contra reddit inhabilem. ut, *Marcor* ad *Martem*, Stupor ad Studium, innata *concupiſcentia* ad bene agendum.

29. Paſſibilis *Qualitas* eſt *ſtabilis* & *permanens*, paſſionem ſenſibus inferens, ut *color viſui*, *calor* & frigus *tactui*, cum

30. *Passio* tantum leviter *stringit*, & subjectum afficit, ut *pallor* à metu, *Rubor* à pudore.

31. *Forma* dicitur debita *signatura quantitatis* externa, præcipuè in *viventibus*. *Figura* symmetria partium etiam in artificialibus, unde *statura*, vel *pulchritudo*, rei *naturalis*, aut *artificialis* laudem aut reprehensionem consequatur. Hinc *Illud*

Formam viventis, picti, dic esse figuram.

Boetbius Damascenus.

32. *Actio* est *operationum Categoria*, quibus agens in *patiente* aliquid efficit, cujus fundamentum est *qualitas*, quæ tantum est activa, virtute cujus 1. *Contraria*, & 2. Magis & minus *suscipit*.

τὸ ποιεῖν

33. Estq; vel 1. *Supernaturalis* ut Creatio. 2. *Artificialis*, ut scriptio. 3. *Naturalis* ut spiratio, quæ ulterius vel 1. *Immanens* potest esse *subjecti* limites non egrediens, sed *ipsum agens* tantum *afficiens*, ut *Intellectio*, *volitio*. vel 2. *Transiens*, *realem* aliquam *mutationem* in *passo* efficiens, ut *sectio*, *calefactio*, Itaq;.

34. Huic aggregantur *classi*, omnes *Creatoris*, & Creaturarum infiniti *effectus*, & non determinanda *molimina*.

τὸ πάσχειν.

35. *Passio* Actionis *Impressiones* recipit, ideoq; easdem leges *Contrarietatis*, sub eisdem momentis, Intentionis & Remissionis subit. Ita tamen ut quicquid *recipitur*, ad modum *recipientis recipitur*, ut eadem *solis* actio, quæ *lutum* indurat, *ceram*, liquefaciat.

36.

36. Eſtq; vel
1. *Intentionalis* quæ *Actioni* reſpondet *Immanenti*, in qua in patiente nulla evidens fit *mutatio*, ut in *viſione* aut *volitione*.
2. *Tranſmutativa*, quæ non ſine *reactione* perficitur, tametſi *patiens* mutationi ſuccumbat, ut *aqua*, *igni* calefacienti. Paſſionum autem varietates ab *Actionum* diſpoſitione ſunt æſtimandæ.

37. *Ubi* claſſem deſignat *Locatorum*, ut *Oxoniæ*, *Londini*. 2. *Quando diſpoſitorum*, juxta *præſens præteritum* & *futurum*, ut *anno*, *menſe*, *die tali*, hoc vel illud factum *fit* vel *fiet*. 3. *Situs* poſitionum *partium* totius reſpectu, in *ſtatione*, *ſeſſione*, *ſurſum*, *deorſum*. 4. *Habitus* veſtimentorum ad veſtitum *habitudinem*. Ut *togatum* eſſe vel *armatum*. quæ circumſtantias rerum & Actionum complectuntur. ποῦ πότε κεῖσθαι ἔχειν

QVÆSTIONES.

An
1. *Conceptuum realium Prædicationes dispositiones, & distinctiones tantum, non Naturæ, in classibus categoriarum sunt primitùs respiciendæ?* A.
2. *Decem tantùm sint Prædicamenta?* A.
3. *Sex ultima prædicamenta sint appendices potius præcedentium, quam distinctæ rerum Classes?* A.

CAP. III.

De Postprædicamentis.

τὰ μὴ τῆς κατηγορίας

1. POstprædicamenta suggerunt *Modalitates* quasdam, tanquam *supplementum* quod ad cognitionem *prædicamentorum* pleniorem, à posteriori *conducat*.

2. Suntq; vel
1. *Opposita.*
2. *Modi priorum.*
3. *Modi simul.*
4. *Motus.*
5. *Modi habendi.*

Ἀντικείμενα

3. *Opposita* exhibent *dissentaneorum* classes (ut exhibuerunt *Prædicamenta*, in suis seriebus *consentanea*) ex quorum constat collatione quid de

de quovis *affirmandum ſit*, aut *negandum*.

4. Talia autem inveniuntur
1. *Diſtincta.*
2. *Diverſa.*
3. *Diſparata.*
4. *Relata.*
5. *Adverſa.*
6. *Privantia.*
7. *Contradicentia.*

5. *Diſtinctio* poteſt eſſe non tantum 1. *Rei* ἑτερότης *à re*, ut *Socrates à Platone*. 2. *Vel rei, in re*, ut *Latitudinis* & *albedinis* in eodem *pariete*, ſed etiam *rei à ſe*, ut *Socratis ſtantis à ſedente*, abſq; perſonæ *diverſitate*. Et *philippi* vigilantis ab eodem dormiente.

6. *Diverſa* ita poſſunt eſſe in *eodem ſubjecto*, ἀλλοῖα ut *æquè* de ipſo *prædicentur*, utcunq; manent ſibi invicem *diſſentanea*. ut

Non *formoſus* erat ſed erat *facundus uliſſes*. potuit eſſe æque formoſus ac *facundus*, manente inter *formam* & *facundiam* diverſitate.

7. In diſparatis *unum multis* opponitur, ut ἄλογα *homo* non eſt lapis, lupus, lepus. in *ſequæntibus* vero *unum* tantum repugnat *uni*, ſic in

8. *Relatis* pater tantum filio opponitur, ut σχετικὰ dicam in *Recto*. Filius non eſt *pater*, nec è contra, licet in obliquo oriatur neceſſaria *reciprocatio*, ut omnis *pater* eſt alicujus filii *pater*, & omnis *filius* eſt alicujus patris *filius*. Ita in

9. *Adverſis* calori tantum frigus opponitur, ἐναντία quæ poſſunt eſſe in eodem ſubjecto: juxta gra-

dus *remissos* non *intensos*. Atqui

στερητικα 10. *Privantia* in eodem *subjecto*, eundem locum sic non retineant, ut *Cæcitas* plenaria, cum *visione* in eodem *oculo*. Et à tali *privatione*, ad amissum *habitum*, non potest *naturaliter* fieri regressus. postremo

ἀντιφατικα 12. *Contradicentium* ut inter *Ens* & *Nihil*, ut *Idem* secundum, *Idem*, *similiter*, & *eodem* tempore, affirmetur *esse*, & non *esse*, concipi non potest *reconciliatio*. unde illud Hebræorum

כל־נאמם או אמן או מאן

Omne *dictum* aut *ait* aut *negat*, & *contradictoria* nunquam *simul* possunt esse *vera*.

πρότερα 13. *Modi priorum* comprehenduntur hoc *disticho*.

1. *Tempore*. 2. *Natura*. 3. *Prius ordine*. 4. *Dig.* & *honore* 5. *Causam causato*, dicimus esse prius.

14. *Tempore* prius est illud quod est *vetustius*, ut Bellum *Trojanum*, *punico*. 2. *Natura*, quod non *reciprocatur*, secundum existendi *consequentiam*: ut *Animal*, homine, quia posito *animali*, non necesse est ut sit *homo*. 3. *Ordine*, præcedunt, *literæ* verbis, & *simplicia*, compositis. 4. *Dignitate*, præfertur; *Magister Baccalaureo*, & *Generosus*, plebeo. 5. *Causalitate* prius est *Ignis*, calore, *Sol*, lumine.

ἅμα 15. *Simul* esse censentur vel 1. *Tempore*, ut *Hippocratis gemelli* eodem partu editi, *Moses* & *Balaam* synchroni, *homo* & *risibile*. vel 2. *Natura*, ut omnia omnino *relata*. 3. vel *divisione*, ut *Homo* & *Brutum*, species sub eodem genere.

16.

16. Motus eſt *progreſſus* à termino *a quo*, ad terminum *ad quem*, cui privatiuè *quies* opponitur. κίνησις μεταβ.

17. Eſtq; vel
1. *Generatio* à non eſſe *tali* ad ens *tale*, nam ex *nihilo* ſimpliciter, prodit *creatio*, per ſolius Dei *omnipotentiam*, cui *Annihilatio* opponitur. γένεσις
2. *Corruptio* ab eſſe ad non eſſe *recidivatio*. φθορὰ
3. *Augmentatio* à minori quantitate ad majorem. αὔξησις
4. *Deminutio* majoris quantitatis in minorem. μείωσις
5. *Alteratio*, unius qualitatis in aliam. ἀλλοίωσις
6. *Loci mutatio*, ab hoc loco, in alium tranſitus. μεταβολὴ κατὰ τόπον

18. *Modi habendi*, hoc *diſticho* memoriali proponuntur. τοῦ ἔχειν.

1. *Affectum*, 2. *Quantum*, 3. *Veſtitum*, 4. dic velut *Aurum*,
5. *Membrum*, 6. *Contentum*, 7. *Poſſeſſio*, 8. vir *Mulierem*.

19. Ex iſtis *Poſtprædicamentis*. 1. *Oppoſita* præcipuè illuſtrant *ſubſtantiæ*, *quantitatis*, & *qualitatis* proprietates. ἐναντία 2. *Modi priorum* inter *genera* & ſubſtratas *ſpecies*, inter ſubſtantias *primas* & *ſecundas*, inter *ſubjecta* & *accidentia* habitudines. 3. *Modi ſimul*, inter *Relatorum* & *Correlatorum*, & membrorum

membrorum *dividentium* cujuſvis *Totius* æquiparantiam. 4. Motus, *Actionis* & paſſionis exhibet conditionem. 5. *Modi habendi*, Inhærentium, cohærentium, & adhærentium, *habitus*, ſeu *modalitates* exponunt varias. *ergo*

20. In *Prædicabilibus* & *prædicamentis* antecedaneis ſparguntur *Inventionis* ſemina, quæ *primam* intellectus *operationem*, afficiunt & dirigunt. ex quibus contexuntur *Propoſitiones* ad *Ariſtotelis* ductum, in tertio ſubſequente Tractatu enucleandæ.

QUÆSTIONES.

An
1. *Poſtprædicamenta commodè prædicamentis ſubnectuntur?* A.
2. *Diſtincta Diverſa, & diſparata rectè diſſentaneis ſive oppoſitis accenſeantur?* A.
3. *Omnes Modalitates, ad modos Priorum ſimul & habendi aliquo modi generatim revocentur?* A.

TRACT.

TRACT. III.

De Propositionibus.

CAP. I.

De Definitione.

1. PRopositio est *Oratio*, *Affirmans* vel *Negans aliquid* de aliquo, quæ si dubia sit appellatur *quæstio*, si inferatur ex præmissis, *conclusio*. Itaq; Ἀπόφανσις

2. *Interrogata*, *imperata*, *optata*, huc non spectant, nec hujusmodi qui asserunt nil disertè, aut negant. σύμβλημα, συμπέρασμα

3. Oratio verò quatenus hùc confert est vel { 1. *Disinitiva*. 2. *Divisiva*. 3. *Enunciativa*. } λόγος

4. *Definitio* est Oratio quæ *essentiam* & *naturam* rei declarat. 2. postor: C. 1. & 1. Top: C. 5. Itaq; ὅρισμος

5. Debet esse *reciproca* & *adæquata*, suo *definito*. (2.) *Affirmativa* 2. postor: C. 3. (3.) *propriis* & perspicuis verbis efformata Top: 6. C. 2. (4.) unde unius rei *unica* tantum potest esse

esse *definitio* (5.) sic ut quicquid convenit *definitioni* convenit etiàm *definito*.

6. Estq; { 1. *Essentialis* / vel 2. *Accidentalis*.

7. *Essentialis* constat ex *genere* & *differentia* ut homo est *animal rationale*.

8 Ergo duplicem habet conceptum. { 1. *Convenientiæ*, nempè *genus*, in quo cum alio convenit. / 2. *Distinctionis*, scilicet *Differentiam*, per quam à cæteris omnibus *distinguitur*.

9. *Genus* eruitur ex *serie prædicamentali*, ad quam *definiendum* pertinet, ut si definirem hominem, in *substantiæ serie*, occurrit *Animal*, ascendendo immediatum ipsius *genus*.

10. *Differentia* quæ deinceps elicitur est vel. { 1. *Substantiarum*. / 2. *Accidentium*.

12. *Substantiarum* invenies differentiam ex generis *scrutinio*, nam in *prædicamento* illud quod genus dividit, *differentiam* suppeditat, quæ si non detur *formalis*, surrogatur in ipsius vicem aliquod *Accidens proprium*. 2. post. t. 69. & 1. de anima *tex* 100.

13. In *Accidentibus definiendis*. Loco *differentiarum*, vel à *Causis*, *Efficiente* aut *fine*, vel à *subjectio*, aut *objectio*, desumuntur termini.

14. *Definitio* accidentalis seu *descriptio* est quæ ex *genere* & *limitationum* cumulo, diversi modè

modè conflatur, quò ſpectant iſtæ *Timor eſt proditio* illorum adjumentorum quæ *ratio* ſuppeditat. *Fides* eſt *ſubſtantia rerum ſperandarum argumentum* non *Apparentium*. *Sophiſta* eſt *Aranea* ſeipſum eviſcerans ad capiendas muſcas. Et paſſim deſcriptiones poeticæ & *oratoriæ*, quales recenſentur à *Boethio* & *aliis* modi 14. quæ ad prædicta facile reducantur. *Sapient. c. 17. v. 12. Heb. 11. 1.*

QVÆSTIONES.

An
1. *Omnis definitio in* Jure Civili *ſit periculoſa, Reg. Juris* 22? Aff.
2. *Definitio negativa ut illa Materiæ quod nec quid ſit, nec quale, nec quantum, aut puncti, cujus pars nulla eſt, ſit probanda?* Neg. *Euclid.*
3. *Exacta definitio, omnia quatuor cauſarum genera in ſe complectitur, ut homo eſt animal à Deo, ad dei factum ſimilitudinem ex corpore & anima, ut ipſum glorificaret?*

CAP. II.

De Diviſione.

1. *Diviſio* eſt totius in partes *reſolutio.* *Διαίρεσις μέρισμος*
2. Conſtat igitur ex { 1. *Diviſo.* 2. *Membris dividentibus.*
3. *Diviſum* præſupponitur eſſe *compoſitum*, unde

unde fiet divisio juxta uniuscujusq; rei naturam 3. Phys. c. 4. t. 45.

ὕστα μερῶν πάθη

4. Cum autem *tria* sint quæ de re quapiam *sciri* possunt 1. *Essentia* 2. *partes*, & 3. *Affectiones*, ut *Essentiam* ostendit *Definitio*, Affectiones *Argumentatio*, Ita partes aperit *Divisio*.

Greg. de valent. ex 1. Pet. 4. 3.

Duacenses Trans. ult. ver. cap. 12. Ecclesiastis.

5. *Membra* dividentia debent esse inter se opposita, diviso vero *Consentanea*, & *adæquata* quæ totam ipsius naturam exhauriunt, unde Impia est ista *divisio*, Idolorum cultus quidam est *Illicitus*, quidam *licitus*, & *errorum* alij *boni* sunt alij *mali*.

ὑσιώδης

6. *Divisio* autem est vel { 1. *Essentialis*. 2. *Accidentalis*.

διαγραφὴ

7. *Essentialis* est quæ totum *essentiale* in partes dispertit.

8. Estq; vel. { 1. *Generis* in suas *species*. 2. *Integri* in sua *membra*.

σύνολον

9. *Divisio* generis in suas *species* fit per essentiales differentias, ut *Animal* per *rationale* & *irrationale* in *hominem* & *Brutum*.

In Politic. & Sophista.

De partibus Animal l. 1. c. 2.

De Methodis l. c. 2.

10. Hic obtinet tantùm διχοτομία, a *Platone*, *Aristotele*, & *Ramistis* celebrata. Alias si introducatur λεπτομέρεια quasi in pulverem comminutio, obruit memoriam. quo nomine *Thessalus* apud *Galenum* ut affectatè *Dichotomista*, perstringitur.

11. Divisio *Integri* in sua *membra* est, quæ partes *quantitativas*, vel alias *integrales* respicit. Quales sunt hominis; *Corpus*, *Anima*, *Spiritus*.

&

& corporis *Cor*, *cerebrum*, & *jecur*.

12. Diviſio *Accidentalis* eſt, cum *totum* per *Accidens* in partes reſolvitur.

13. Eſtq; { 1. *Nominis*.
vel. { 1. *Rei*.

14. Diviſio *nominis* eſt, multiplicis explicatio, quæ *diſtinctio* tantum eſt ſignificationis. Ut *Canis*, vel *Cæleſtem*, *Terreſtrem*, vel *Marinum* canem denotat. ὀνοματώδης.

15. Diviſio *Rei* eſt, per *circumſtantias*, quaſdam accidentales diſtributio, πραγματώδης.

16. Eſtq; vel.
1. *Subjecti*, per *Accidentia*, quæ inſtitui poteſt in omnibus prædicamentis; ut in *Subſtantia*, Homines aliqui ſunt *ſtudioſi*, alii *otioſi*. Ratione *quantitatis*, aliqui *Gigantes*, alij *pumiliones*. In *Relatione*, aliqui *domini*, alij *ſervi*.
2. *Accidentium* per ſua *ſubjecta*; ut *Febrium* alia poteſt eſſe in *Spiritibus*, alia in *humoribus*, alia in *cæteris* partibus.
3. *Effectuum* per *Cauſas*, ut *fames*, alia eſt ex *ſterilitate*, alia ex *vaſtitate*. *Vaſa*, alia ſunt *aurea*, alia *argentea*, quædam in *honorem*, quædam in *Contumeliam*. *Edificia*, alia ſunt ad *neceſſitatem*, alia ad *voluptatem*, 2. Tim. 2.

&

& pompam.

4. *Causarum* per *Effectus*, ut *Verbum Dei*, aliud terret *conscientiam*, ut *Lex*: aliud consolatur ut *Evangelium*.
5. *Rerum* per *Objecta*, ut *sensuum*, alius versatur circa *colores*, ut visus: alius circa *sonum*, ut Auditus.

De hisce omnibus *Plato*. Si nactus fuero *ducem*, qui rectè *partiri* sciat, Ego istius vestigia, ut *Dei cujusdem* sequar. in *Sophista*, & *Philebo*.

QUÆSTIONES.

An
1. Detur aliqua *Exacta* divisio *Generis* in suas species immediatè proximas? Aff.
2. *Dichotomia Ramistica Neotericorum* obruit potius *memoriam*, quam *intellectum* informat? Aff.
3. Qui benè *Dividit* & *distinguit*, benè docet? Aff.

CAP

CAP. III.

De Oratione Enunciativa.

1. ORatio *Enunciativa* ad *plura* extenditur, & cùm pronunciat *uti res est*, vera agnoscitur: cùm *aliter*, vel affirmat *dissentanea*, vel negat *consentanea*, falsa dicitur *propositio*. *Conser. Arist. lib.* περὶ ἑρμηνίας.

2. Estq; vel.
1. *Categorica.*
2. *Hypothetica.*
3. *Copulata.*
4. *Comparata.*
5. *Discreta.*
6. *Disjuncta.*
7. *Modalis.*

λόγος { κατάφατικὸς. ἀποφατικὸς. πρότασις.

3. *Categorica*, (quod *Axioma simplex* est *Ramistis*) constat ex *subjecto*, *copula*, & *prædicato*, ut *Deus* est *Spiritus*, ubi *Deus*] *subjecti*, est] *copulæ*, & *Spiritus*] *prædicati* locum obtinet. καταγορικη.

4. Dividitur vulgò ad *ductum* triti istius versiculi, Quæ?] *Ca.* vel *Hyp.* Qualis?] *Ne.* vel *Aff.* Un. *Quanta*?] *Par. Ind.* Sing. ut de propositione *Homo est Animal.* Si quæratur *Quæ* sit] quoad substantiam? Respondendum est *Categorica*: si *Qualis?*] dic *Affirmativa*: si *Quanta?*] respondeas *Indefinita*, si ulterius ur-

geatur, redde datam propositionem *Hypotheticam*; dicas, *si homo sit animal, tum vivit*. Des *negativam*? Homo non est *animal*. fac *universalem* (quod τὸ un.] insinuat) *Omnis homo est Animal*: mutes in *particularem*, Aliquis *homo est Animal*: efficias *singularem* ad Indicium *sing.*] *Socrates est Animal*, quod sufficit tenuisse de *Catagoricis in se* consideratis. inter se verò collatis.

5. Accidunt *iis* & (ratione illarum) *compositis*.
1. *Oppositio.*
2. *Æquipollentia.*
3. *Conversio.*
4. *Suppositio.*
5. *Ampliatio.*
6. *Restrictio.*
7. *Exceptio.*

6. *Oppositionis* lucta *conspicitur* in sequente *diagrammate*. Ubi *Propositiones* (1.) *contrariæ*, (2.) *Sub-contrariæ*, (3.) *Contradictoriæ*, (4.) *Subalternæ quæ, quot, & quales* sunt *Synoptic*ῶ*s* exhibentur.

Omni



7. Harum propositionum *Æquipollentia* satis *obscurè* traditur in hoc *versiculo*.

Præ. contradic. post. contrar. præpost. q̄. subalter.

Hoc est, *Præ*] præponas signum [τὸ *non*] propositionibus *Contradicentibus* ut delineantur in *Schemate*. hoc modo, *non omne Bellum est formidabile*, perinde est ac si dicas, *Aliquod Bellum non est formidabile*. sic postpones *Non*] in *contrariis*, *Omne non Bellum* est *formidabile*, est ac si diceres. *Nullum Bellum* est *formidabile*. eodem ductu *præponas* & *postponas* Non] in *subalternis*, *non omne non Bellum est formidabile*, illud innuitur *Aliquod Bellum est formidabile*. Sed quis tam inquinatè argutatur? aptius dixeris, quia *omne Bellum*, est *formidabile*, ergo *Aliquod Bellum* est *formidabile*. & apertior erit *Æquipollentia*. quemadmodum &,

8. *Indefinitam propositionem* in *materia necessaria* coincidere cum *universali*, ut *Homo* est *Animal*, idem valet ac si diceres, *omnis homo* est *Animal*. sed ista omnia, satis assequimur absq; talibus tricis per *innatam* nobis *Logicam*.

Conf. 1. prior. c. 2. 9. Conversio est *duarum propositionum* (servatâ *eadem qualitate*, & mutatis *obliquis casibus* in rectos) talis partium *transpositio*, ut *secunda* fiat *prioris* consequens.

10. Est q; vel { 1. *Simplex.* 2. *Per Accidens.* 3. *Per contrapositionem.*

11. Harum *Metamorphoseis* latent in hoc versiculo,

Ecce, Tibi, Simp] *Armigeros* Acc] *Arma, Bono*, Con] & eliciuntur observatis tantùm *vocalibus* ad ductum *versuum* sequentium.

Assert

Asserit. A. *negat.* E. sed *universaliter Ambæ.*
Asserit. I. *Negat.* O. sed *particulariter Ambo.*

12. Hinc enim indigitatur *conversio* per dictionem.

Ec 1. *Nullum violentum* est *perpetuum.*
Ergo
ce 2. *Nullum perpetuum* est *violentum.*

Ti 1. *Aliqua Imperitia* est *intollerabilis.*
Ergo
bi 2. *Aliquod intollerabile* est *Imperitia.*

Ar 1. *Omnis curiositas* est *dulcis amaritudo.*
Ergo
mi 2. *Aliqua dulcis amaritudo* est *curiositas.*

ge 1. *Nulla fortuna* est *stabilis.*
Ergo
ros 2. *Aliquod stabile non* est *fortuna.*

Arma 1. *Omnia supervacanea* sunt *negligēda.*
Ergo
Bono 2. *Aliquod quod non est negligendum non* est *supervacaneum.*

Quò spectat etiam & illud.

Simpliciter Feci] *convertitur Eva*] per *Acci.* *Cato*] per *contra.* Sic fit *conversio* tota.

13. *Suppositio* est ubi vox intelligitur pro re, quod fit ex *necessitate*, cum res ipsas in *disputationem* adferre non possumus. unde *Homo* non tot literas & syllabas, sed rem *substratam* ingerit. Elench. 1.

14. *Ampliatio* est, cùm quod effertur in *præsenti* ad *reliqua* tempora extenditur, ut homo est Animal, non tantum hoc instanti, sed semper *erat*, & *erit*.

15. *Restrictio* Ampliationem cohibet ad terminum *præcisum*, ut homo quà *corporeus* est *vulnerabilis*.

16. *Exceptio*, accipiens unum *excludit* aliud, juxta illud, Excludit *solus*, *præter*, excipit, quæq; restringit ut

Terent. *Solus Sannio servat domum.* Nil *præter* nasum
Martial. *Tongilianus* habet.

πρότασις ὑποθετικὴ 17. In *Hypotheticis* propositionibus, seu *conditionalibus* præcipuè conspicientur, 1. *Antecedens*, & 2. *Consequens*, quæ connectit *conjunctio*. ut si *Deus* sit, tum est *providentia*.

συμπλεκτικὴ 18. *Copulatæ* propositionis character est *conjunctio copulativa*. ut *natura* est principium motus & quietis.

συγκριτικὴ 19. *Comparatæ* propositiones dignoscuntur per *tum*, *cum*, *ubi*, *ibi*, ut ubi *amor* ibi oculus. cum venerit *Elias tum* ipse nodum solvet.

ἐναντιοματικὴ διαζευκτικὴ 20. *Discretæ sensum* disterminant, & quasi dubio occurrunt. ut quamquam *Deus* permittat peccatum tamen *author* peccati non est.

τροπικὴ ἀναγκαῖον ἐνδεχόμενον 21. *Disjunctæ*, opposita sic partiuntur ut nil interveniat *medium*, vel *participationis*, vel *abnegationis*. ut qui non est *nobiscum* est contra *nos*. *Christus* non agnoscit *Neutrales*.

δυνατὸν ἀδυνάτον 22. *Modales* facile per hosce terminos, 1. *Necesse*, 2. *Contingens*, 3. *Possibile*, & 4. *Impossibile*, inno-

innoteſcunt, ut *neceſſe*, *contingens*, *poſſibile*, *impoſſibile* eſt *hæreſes eſſe*. quæ tam fusè, & confusè per (12) *ordines* diſponuntur, tanta cum diſcentium nauſea, & operæ pretio nugatorio, ut vulgò illud increbuerit de *Modalibus non guſtabit Aſinus*.

QUÆSTIONES.

An
1. *Multiplices de nomine & verbo, & Æquipollentiis, exponibilibus, & hujuſmodi, tricæ, conſultius relinquantur Grammaticis, quam ingerantur Logicis?* A.
2. *De Propoſitionibus Hypotheticis certi aliquid tradiderit Ariſtoteles in Organo?* N.
3. *Modalium iſti ordines & Regulæ ſatis uſu compenſent percipiendi ſtudium?* N.

TRACT. IV.

De Syllogiſmis.

CAP. I.

De Syllogiſmo in genere.

1. VT *Propoſitiones* habuimus ex *ſimplicibus terminis*: ſic conſtantur *Syllogiſmi* ex *propoſitionibus*, & tertiam Intellectus *operationem* requirunt.

συλλογισμος confer. 1. prior. c. 10. & 1. Top.

2. *Syllogiſmus* eſt *Diſcurſus*, in quo ex *duabus* (vel re, vel *virtute*) *præmiſſis* propoſitionibus, *concluſio* à *præmiſſis* diverſa, *vi præmiſſarum* infertur.

Itaq;
1. *Idem* per *Idem* non eſt concludendum, ut *magnes* trahit *ferrum*, quia trahit *ferrum*.
2. Non plus inferat concluſio quàm *præmiſſæ* largiuntur, ut *Inutilia* non ſunt *diſcenda*, multa in *Organo Ariſtotelis* ſunt *inutilia*. ergo, *Organon Ariſtotelis*

Ariſtotelis non eſt diſcendum. inferas tantum ergo *multa* in *Organo* non ſunt diſcenda.

4. Præmiſſæ iſtæ ſunt propoſitio { 1. *Major*, aliàs κατ' ἐξοχὴν dicta *Propoſitio*. πρότασις μείζων 2. *Minor*, vulgò etiam aſſumptio. ἐλάττων

5. In *his* & cum *his* obſerventur *terminis* { 1. *Major extremitas*. ὅροι 2. *Minor extremitas*. 3. *Medius Terminus*. μέσος

6. *Major extremitas* eſt, quæ cum *medio* connexa *termino Majorem*; *minor*, quæ cum *eodem* juncta *minorem* propoſitionem conſtituit. undè ex complectione harum extremitatum emergit *concluſio*: quia dictamen *ſenſus* eſt & *rationis*, 1. Quod dictum eſt *de omni*, & *nullo* ſuperiori, affirmari & negari de ſingulis inferioribus, & 2. *quæ conveniunt in aliquo tertio* (*eodem ſenſu* quo conveniunt) inter ſe etiam convenire: undè quia animal dicitur de omni homine & bruto, ergo dicitur de omnibus inferioribus illis ſubjectis; & quia negatur de lapidibus omnibus negatur de omnibus ipſius *ſpeciebus* & *individuis*. Sic quoniam *rationale* & *Socrates* conveniunt in *homine*, ergo *Socrates* eſt *rationalis*. *Arbor* & *columna* congruunt eidem *lineæ* menſuranti, ergo ſunt ejuſdem *altitudinis*.

1. *Syllogizare non eſt ex particulari.*
Unde ridiculum eſt hoc, *Aliquod Animal eſt ſimia*, Aliquis *homo* eſt *Animal*, ego Aliquis *homo* eſt *ſimia*, quia concluſio eſt ex *præmiſſis particularibus.*

2. *Nevè negativis, rectè concludere ſi vis.*
Perperam enim concludis ſi argutaris, *Nullus venter* habet *aures*, *Nullum caput* eſt *venter*. ergo nullum Caput habet aures, quia ambæ præmiſſæ ſunt *negantes.*

3. *Ex falſis falſum verumq; aliquando ſequetur.*
Ut omnis Aſinus peritè tangit Lyram: Aliquis Muſicus eſt Aſinus, ergo *aliquis muſicus peritè tangit Lyram.* vera eſt *Illatio* ex *falſis* ratione *formæ* non *Materiæ.*

4. *Ex veris poſſint nil niſi vera ſequi.*
Ideoq; nunquam neganda eſt *Concluſio*, ſed *major* vel *minor* propoſitio.

5. *Et ſequitur partem concluſio debiliorem:*
quarè
Si qua præit partis ſequitur concluſio partis,
Si qua negata venit concluſio ſitq; negata.

7. *Syllogiſmos autè generatim* rectificant *hæ ſeptem Regulæ*

quia

quia *debilior* habetur *particularis universali*, & *Negatio affirmatione*.

6. Tres *Syllogiſmi* & tantum tres *Termini habentur*.

abſq; ulla mutatione *Medij*, aut variatione *majoris* aut *minoris Extremi* a ſenſu proprio, unde illud *Syllogiſmus non currit quatuor pedibus*. *Captioſa* igitur ſunt huiuſmodi *omne* B. immediatè ſequitur A. *omne* C, immediatè ſequitur B, ergo omne C. immediatè ſequitur A. quia variatur hic *medius terminus*. Aliud enim eſt *ipſum B.* in majori, aliud *ſequi B.* in minori, ſic. *Nullus Infans* eſt *Juvenis*, Omnis *ſenex fuit Infans*: ergo nullus *ſenex* fuit Juvenis, non valet, quia non Idem eſt Infantem *eſſe*, (quod medium eſt *majoris*) ac *Infantem fuiſſe* Quod aſſumitur in minori. Nec minus fallit nonnunquam *Extremitatum mutatio*, ut *Aſinus* eſt *aliud ab Ove*, *Aries* non eſt aliud ab Ove. Ergo *Aries* non eſt aliud ab *Aſino*, ubi ſubdolè mutatur, *ly Aſinus major extremitas*, in *Aliud ab Aſino* in concluſione, quæ debet eſſe ergo *Aries*, non eſt *Aſinus*.

7. *Lex generalis* erit *medium concludere neſcit*.

neſcit

Nescit igitur *Logicus* tale sophisma admittere. *Qui jam vivit natus est. Senex jam vivit, ergo senex jam natus est*; quia *Ly Jam* est pars *medij*, concluditur tantum ergo *senex natus est.*

QUÆSTIONES.

An
1. *Doctrina* syllogistica *sufficientem* omnium *Consequentiarum* reddat rationem? A.
2. *Ex* eadem dissolvantur omnes sophistarum nodi? A.
3. *Commodior sit* Aristotelica per Syllogismos, *quam* Platonica per Dialogismos *Quæstionum discussio*? A.

CAP. II.

De Syllogismo *in specie &* 1°. *de* Categorico.

1. Syllogismus est vel.
1. *Categoricus.*
2. *Hypotheticus.*
3. *Enthymematicus.*
4. *Pleonasticus.*
5. *Apodeicticus.*
6. *Topicus.*
7. *Sophisticus.*

Quam

Quem *Dichotomiſtæ* ſolent diſpertire in *Syllogiſmum*



Vel ſi arrideat *Trichotomia*. *Syllogiſmus* habeatur 1. vel *Explicatus*, & ſic eſt vel *Categoricus*, vel *Hypotheticus*. 2. vel *Implicatus*, ita *Enthymematicus*, erit, vel *Pleonaſticus*. 3. vel *Applicatus materiæ, neceſſariæ, probabili, fallaci*. unde prodit *Apodeicticus, Topicus, Sophiſticus*.

2. *Syllogiſmus Categoricus* eſt in quo *prædicatum Quæſtionis*, cum *medio termino* aliunde aſſumpto, conficit *majorem propoſitionem*, & ejuſdem quæſtionis *ſubjectum* cum eodem copulatum medio, *minorem* ſuppeditat. κατηγορικὸς.

3. Ut ſit *quæſtio*, An *Juvenis* ſit *Idoneus Auditor Moralis Philoſophiæ*. Negatur. aſſumpto *forinſecus medio, quia affectibus obtemperat*. connectatur hoc *medium* cum prædicato quæſtionis nempè

nempè *Idoneus auditor*] & innato *rationis* quaſi impetu, effunditur Syllogiſmus.

Qui obtemperat affectibus non eſt Idoneus auditor Moralis Philoſophiæ:
Sed Juvenis affectibus obtemperat, ergo
Juvenis non eſt Idoneus auditor Moralis Philoſophiæ.

4. Diſpoſitio autem *Medii termini dirigitur* per { 1. Figuras. 2. Modos.

5. Figuræ ſunt *tres*, ad *ductum* hujus verſiculi *variatæ*.

Sub: Præ. prima] *Bis præ ſecunda*] *Tertia*] *Bis ſub.*

Id eſt, Prima *figura* habet *Medium Terminum* ſubjectum, in *majori propoſitione*, &, prædicatum in minori. *Secunda*, prædicatum tam in *majori*, quam *minori*. Tertia *ſubjectum* in utriſq;.

Anomala igitur eſt hæc *forma Jeſuitica* (niſi ad quartam) *Galeni* ſe recipiant *figuram*.

Qui negat Articulum fidei is ſolus eſt Hereticus,
Sed Hereticus eſt qui negat Tobiam habuiſſe canem:
Ergo *Sequitur eſſe articulum fidei, quod Tobias Canem habuerit.* Colloq. Ratisbonenſ. protocoll. Monach. ff. 11. p. 132.

6. *Modus* eſt legittima *propoſitionum* in *qualibet figura* ſecundum *quantitatem* & *qualitatem* conſtitutio. cujuſmodi numerantur 19.

7. *Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baralypton,*
Celantes, Dabitis Fapeſmo Friſeſomorum.
Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco, Darapti.
Felapton,

Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.

Ex quibus,

Omnes directè concludunt excipe quinq́.
Quorum ſi numeres hæc nomina ſunt, Baralypton;
Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum.
Prædico majorem cum ſit concluſio recta.
Eſt Indirecta cum prædicat illa minorem.

8. Cumq; omnis concluſio ſit vel, 1. *Categorica*, vel *Hypothetica*. 2. *Affirmativa* vel *Negativa*, 3. *Directa* aut *indirecta*. 4. *Univerſalis*. 5. *Particularis*. 6. *Indefinita*. 7. Aut *ſingularis*; *Ex technicis* iſtis *modorum* vocabulis facilè omnes eliciantur. quod punctim relinquendum eſt *Tutoribus* (ſi moræ erit pretium) diſcipulis ſuis enucleandum.

9. *Prima figura* habet *Medium Terminum*, *ſubjectum* in majori *univerſali* vel *ſingulari*, (*nunquam paticulari*) & *prædicatum* in *minori*, in concluſione *directa* ſemper affirmante. 1. poſt c. 4. unde ſophiſmata. εἶδος πρῶτον.

10. Ex

10. Ex
- 1. *Majori particulari* ut.
  - 1. *Uniuſcujuſq; hominis manus altera eſt dextra: ſiniſtra eſt unius cujuſq; hominis manus altera.* Ergo Siniſtra eſt dextra. Fallit quia major eſt particularis, perinde enim eſt ac ſi diceres *aliqua manus hominis eſt dextra.*
- 2. *Minori negante* ut
  - 2. Omnis *Dives* eſt homo, *Solus* ſapiens eſt *dives.* Ergo, Solus ſapiens eſt homo. Non valet quia Minor eſt *negativa*, Nam *ſolus ſapiens* eſt dives, Idem eſt ac ſi aſſerueris, nullus præter ſapientem.

11. *Modos* autem *novem* complectitur juxta illud

Prima, novem numerat, numerat quatuor ǽ ſecunda,
Ultima quæ *reſtat* retinet *ſex verba figura.*

Novem iſti modi ſunt,

Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baralipton.
Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum.

Ex quorum vocalibus *technicis*, facile diriguntur *Tirones*, ad *Syllogiſmos* in prima *figura* contexendos. quorum exempla petant ex *Diexodicis.*

12.

12. *Secunda figura* habet *medium* terminum *prædicatum* in *utraq;* *propoſitione*, *majori*, *univerſali* vel *ſingulari*, nunquam *particulari*, *eaq;* vel *minori* ſemper negante. εἶδος δεύτερον.

13. Itaq; hic non concluditur:

1. Ex *majori particulari*, ut
- Quidam *homines* non obſervant ordinem.
- Omnes verè *ſtudioſi* obſervant ordinem. *Ergo*
- Quidam veri *ſtudioſi* non ſunt homines.

2. *Affirmativè*, ut
- *Amor* naſcitur ex aſpectu, &
- *Odium* naſcitur ex aſpectu, *Ergo*
- *Odium* eſt *Amor*. Et illud ridiculum,
- *Aſinus* habet duas aures,
- & *Tu* habes duas aures,
- *Ergo*, Tu es Aſinus.

14. Hujus quatuor modi (*Cæſare*, *Camestres*, *Feſtino*, *Baroco*.) negativis concluſionibus optimè inſerviunt. Quarè *controverſus* iſte Salvatoris *Syllogiſmus*, *Qui ex Deo eſt*, *verbum Dei audit*; *propterea* vos non *auditis*, *quia ex Deo non eſtis*, non referendus eſt ad *primam figuram*, in qua minor non poteſt eſſe *negans*, niſi ſit reciproca; (ſed tum non ratione *formæ* ſed *materiæ* valebit argumentatio) *ſecundæ* autèm huic *figuræ* optimè convenit Io. 8. 47.

Qui verbum Dei audit eſt ex Deo,
Sed vos non eſtis ex Deo, Ergo
Verbum Dei non auditis.

εἶδος τρίτον. 15. *Tertia figura* eſt, cum è *medio* termino bis ſubjecto, in *Majori* utlibet, in *minori affirmante*, concluſio *particularis* infertur.

16. Ergo ſubdolè hic concluditur.

1. Ex *minori negante*, ut
- Omne *perjurium* eſt deteſtandum,
- Nullum *perjurium* eſt *homicidium*: Ergo
- Aliquod homicidium non eſt deteſtandum.

2. *Univerſaliter* v. g.
- Nullus *Equus* eſt *Canis*,
- Omnis *Equus* eſt *quadrupes*: Ergo
- Nullus *quadrupes* eſt *Canis*, ſequitur tantum,
- Aliquis *quadrupes* non eſt *Canis*.

17. Hujus ſex modi, *Darapti*, *Felapton*, *Diſamis*, *Datiſi*, *Bocardo*, *Feriſon*. concluſiones particulares optimè dirigunt, atq; hinc *Syllogiſmus* ἔκθεσις. *Expoſitorius*, ex *medio ſingulari* hic præcipuè eminet. ut *Socrates* eſt *Philoſophus*, *Socrates* eſt *conjugatus*: Ergo aliquis *conjugatus* eſt *Philoſophus*. quales *Syllogiſmi* ex medio ſingulari contexantur in *prima* & *ſecunda* figura, ut *Judas* erat *proditor*, quidam *Apoſtolus* erat *Judas*: Ergo quidam *Apoſtolus* erat *proditor*. ſic in Figura *ſecunda*.

Author

Author libelli prædicamentorum erat *Ariſtoteles*, *Ammonius* non erat Ariſtoteles: Ergo *Ammonius* non erat *author* iſtius libri.

18. Eadem eſt vis *concludendi*, ex propoſitionibus *indefinitis* in qualibet *figura*: ut in *prima*.

Salus populi eſt *ſuprema Lex*,
Sed *obedientia Magiſtratibus præſtita*, eſt *ſalus populi*. (*Dei* enim *miniſter* eſt tuo *Bono*,
Ergo *Obedientia Magiſtratibus præſtita* eſt *ſuprema lex*.

Sic in *ſecunda* Figura.

Salus Populi eſt *ſuprema Lex*,
Sed *obſiſtere Magiſtratui* non eſt *ſuprema Lex*. quia infert condemnationem:
Ergo, *Obſiſtere Magiſtratui* non eſt Salus Populi. Nec aliter in *tertia*.

Salus Populi eſt *ſuprema Lex*. Sed
Salus Populi eſt ex *Rege Legitimo*. qui diſcordes *uniat* inter ſe, *muniat* adverſus *exteros*. ſontes *puniat* qui perturbant omnia: Ergo
Talis *Rex* eſt *ſuprema Lex*.

19. Syllogiſmis *Secundæ*, & *Tertiæ Figuræ* accidit *Reductio* ad *primam*. non ut vis *Illationis* ipſarum confirmetur, ſed ut dilucidiùs appareat *deductio*. ἀνοκλείθησις.

20. *Reductio* autem talis ſtatuitur vel { 1. *Oſtenſiva*. 2. Ad *impoſſibile*.

21. *Reductio Oſtenſiva* fit ſola propoſitionum

ἀναγωγὴ δεικτικὴ

tranſmutatione, & *converſione*, manentibus concluſionis *extremis*. 1. *Prior*. c. 23.

22. Hujus modum oſtendunt in prædictis modorum nominibus *Conſonantes*
1. *Initiales* B. C. D. F.
2. *Intermediæ* S.P.M.C.

Modi enim in *Secunda* & *Tertia Figura*, incipientes à (B) reducuntur ad *Barbara*, à (C) ad *Celarent*, à (D) ad *Darii*, ab (F) ad *Ferio*.

23. *Conſonantes* intermediæ F in eiſdem nominibus modorum S. P. M.C. oſtendunt, quo *artificio* perficiatur hæc *Reductio*, ſive *Converſione*, ſeu *Tranſpoſitione* propoſitionum, ſive *deductione ad impoſſibile*, quod dirigit ulteriùs hoc diſtichon,

Simpliciter verti vult (S):(P)*vero per Acci:*
(M) *vult tranſponi:*(C)*per Impoſſibile duci.*

εἰς ἀδύνατον.

24. *Reductio* tandem per *impoſſibile*, eſt cùm Illationis *Evidentia* oſtenditur ex abſurditate admittendæ contradictionis, quam neceſſe eſt ut *incurrat* is, qui conſequentias 2dæ & 3iæ Figuræ non probat. Uſurpatur vulgo tantum in *Baroco* & *Bocardo* reducendis, ſed aliis etiam modis poteſt adaptari, juxta illud,

Majorem ſervat, variatq; *ſecunda minorem.*
Tertia majorem variat, ſervatq; *minorem.*

Sed hæc nullo cum diſcentium damno poſſunt omitti, quæ *luſui* potius ingeniorum quam artis *uſui* inſerviunt, dummodo teneatur

25.

25. *Syllogiſmum* ducentem ad *Abſurdum*, aliquoties obtinere cum arripitur *contradictoria* propoſitio ab Adverſario *negata*, & ſic connectitur cum *propoſitione* ab eodem conceſſa, ut indè repudianda fluat concluſio. Aſſerit Orthodoxus, *Infantes* eſſe Baptizandos. contradicit *Anabaptiſta*. convenit *Baptiſmum* eſſe fœderis *ſigillum*, & *Sigillum* fœderis fœderatis convenire. unde *Syllogiſmus*.

Fœderati ſunt Baptizandi,
Infantes non ſunt *Baptizandi*: Ergo
Infantes non ſunt *fœderati*. Abſurda eſt concluſio, quia contra Salvatorem & Apoſtolum, Ergo, falſa vel *Major* vel *Minor*. de majori erat conſenſus, reſtat igitur ut *minor* ſit falſa, at iſta fuit, *Infantes* non ſunt *Baptizandi*: Ergo, ipſius contradictoria eſt vera, Infantes ſunt *Baptizandi*, quod volumus. *Ariſt. Prior.* l. 1. c. 2. 3. & c. 45. 2. & l. 2. c. 2. & 15.

QUÆSTIONES.

An
1. *Quarta* Syllogiſmorum figura à *Galeno* introducta ſit probanda? *Neg.*
2. Faciliùs per datas figurarum *definitiones* quam per *Modos* (19) Syllogiſmi legittimi contexantur? *Aff.*
3. Reductionis doctrina Syllogiſmorum *Secundæ* & *Tertiæ* figuræ ad *primam*, implicatior ſit quàm utilis? *Aff.*

CAP. III.

De Syllogiſmo Hypothetico.

ὑποθετικὸς.

1. SYllogiſmus *Hypotheticus* eſt in quo *tota quæſtio* fit *pars altera propoſitionis* affirmatæ, & *compoſitæ*, medius terminus pars reliqua. Ut ſit quæſtio, *Utrum Plato ſit doctus.* affirmatur hoc *medio* quia *alios poteſt docere*: unde ex medii & *totius* quæſtionis *conjugio*, ſic conflatur *major propoſitio*, *ſi Plato poteſt alios docere, tum eſt doctus*, ex qua quid *aſſerendum*, *tollendum*, aut *inferendum* ſpeciatim præcipitur.

2. Reducatur ad *Syllogiſmum Categoricum*, & proinde ex illius conſtet *regulis* an *legittimus* ſit, vel latenter adulterinus.

3. Eſtq; vel { 1. *Connexus.* 2. *Disjunctius.*

συνημμενικὸς. συναπτὸς.

4. *Connexus* ſeu *conditionalis* eſt cujus *Antecedens* & *Conſequens*, conjunctione *conditionali* connectuntur.

5. Eſtq; vel { 1. *Conſtructivus.* 2. *Deſtructivus.*

κατασκευαστικὸς.

6. Conſtructivus eſt qui ex aſſumpto *antecedente*, conſequens *affirmativè* concludit. Ut ſi *Megarenſis*

Megarenſis conduxit *Aſinum*, tum conduxit ipſius *umbram*. ſed verum prius. Ergo poſterius. reducitur ſic ad primam figuram.

Da Qui conduxit *Aſinum* conduxit *ejuſdem Umbram*,

ri Sed *Megarenſis* Aſinum conduxit: Ergo,

i *Megarenſis* conduxit etiam *umbram Aſini*.

7. Frequenter hic non idem *aſſumitur*, ſed *majus*, ut ſi *parentes* te odiſſent tui, alicubi ex illorum oculis concederes,

Sed te (quod multo magis eſt) *patria odit*: Ergo, multo magis hinc debes abire. *Ciceroin Catil.*

8. Idem eſt concludendi *modus* ex propoſitione, *temporis relationem* includente: qui plene occurrit apud *Poetam*.

Cum Paris Oenone poterit ſpirare relictâ, *Ovid.*
Ad fontem Zanthi verſa recurret aqua,
Zanthe retrò propera verſæq́, recurrite Lymphæ,
Suſtinet Oenonem deſeruiſſe Paris.

9. Reductio, cum Paris fiet *perfidus*, *Zanthus* refluet, At nunc *fit*: Ergo, &c.

10. *Connexus deſtructivus* tollit *conſequens*, ut *antecedens* deſtruatur. ut ἀναστρεπτικὸς.

Si detur *Tranſubſtantiatio*, ponitur ejuſdem corporis πολυτοπία,

Sed *impoſſibile eſt* ut idem *corpus numero*, *ſit in diverſis locis ſimul*: Ergo,

Non datur *Tranſubſtantiatio*. *Reduces*. *Tranſubſtantiatio* infert *polytopian*,

Sed non datur *polytopia*: Ergo,
Nec *Tranſubſtantiatio*.

διαζευκτικὸς. 11. *Syllogiſmus disjunctus* eſt cujus major propoſitio eſt disjunctiva.

12. Eſtq; vel { 1. *Affirmans*. 2. *Negans*.

καταφατικὸς. 13. *Affirmans*, è *disjunctis* membris, negat alterum, & affirmat reliquum.

14. Fitq; vel inter membra { 1. *Duo*. 2. *Plura*.

15. Ex *Disjunctis*, *duobus* tantum membris, argumentum eſt *Canis* in *bivio* apud *Plutarchum*,
Aut hâc via Lepus effugit, aut illâ,
Sed *non hâc* ergo *illâ*, Sed non *illâ* ergo *hâc*, quod reducitur.
Qui non hâc *Elapſus* eſt, illâc tranſiit,
Sed hic *lepus* non hâc *Elapſus* eſt. Ergo,
Illâc tranſiit.

16. Ex *membris pluribus*, removentur omnia, ut unum tantum aſtruatur: Ut,
Si fælicitas ſit *Bonum*, tum vel *Animæ bonum eſt*, vel *Corporis*, vel *Fortunæ*,
Fortunæ autem vel *Corporis* non poteſt eſſe:
Ergo eſt *Bonum animæ*.
Sic,
Si anima ſit *Subſtantia* tum eſt Materia vel Forma, vel Compoſitum,

Non

Non *Compoſitum*, vel *Materia*: Ergo,
Relinquitur ut ſit *forma*.

17. *Syllogiſmus disjunctus Negans* eſt, qui è *disjuncta* majori propoſitione, omnibus partibus *affirmatâ*, aſſumit *unum*, ut *tollat reliquum*.

Ut, *Solitarius* eſt vel *Deus*, vel *Dæmon*,
Sed eſt *Deus*: Ergo non *Dæmon*.
Vel eſt *Dæmon*, Ergo non *Deus*. Sic,
Aut ex Lege, aut Evangelio eſt Salus,
Non ex *Lege*: Ergo, Ex *Evangelio*. ἀναίρει τὸ πρῶτον ἵνα δευτέραν στήσῃ. *aufert* primum ut ſequens ſtatuat *Heb.* 9.10.

QVÆSTIONES.

An
1. *Doctrina de Syllogiſmis Hypotheticis debeatur potius Boethio quam Ariſtoteli?* Aff.
2. *Exempla Copulati, aut diſcreti Syllogiſmi apud authores probatos occurrunt?* Aff.
3. *Omnes Hypothetici ſeu Syllogiſmi compoſiti commodè ad Categoricos reducantur?* Aff.

CAP.

CAP. IIII.

De Syllogiſmis implicitis nempè Enthymematico & pleonaſtico.

κρύπτικοι. 1. INtegri & *explicati* præceſſerunt *Syllogiſmi* in *Categoricis*, & *hypotheticis*, ſuccedunt *implicati*, ob *defectum*, aut *exceſſum*, in *Enthymematicis*, & *pleonaſticis*, unde ſi qua ſubeat *dubitatio*, ſupplenda ſunt quæ deſunt, *amputanda* quæ ſuperſunt, & ad normam *categoricam* revocanda.

ἐνθύμημα. 2. *Enthymema*, ſyllogiſmus eſt *truncatus*, ex unica *propoſitione*, (altera in mente *reſervatâ*) concluſionem inferens. Itaq;

3. *Duabus* conſtat *partibus Antecedente*, & *conſequente*, quæ ſi perperàm coaleſcant, vulgo dicitur: *negatur argumentum.*

4. Aſtruitur autem connectio ſeu *ſequela*, additâ (quæ deeſt) *propoſitione majori* in habentibus Idem *ſubjectum* in *Antecedente* & *conſequente*, ut *Hypocriſis* eſt *vitium*, ergo *Hypocriſis* eſt fugienda, addes *majorem*, Omne vitium eſt *fugiendum* & *ſequela* probatur: ſed ſi Idem ſit prædicatum in utriſq;, illud indicat *minorem*, in lucem eſſe proferendam, ut *Rex* non habet *ſuperiorem* in ſuo *regno* præter *Deum*, ergo *Carolus* non habet,

patet

patet hoc, ex interpoſita minore, ſed *Carolus* eſt *Rex*.

5. *Enthymematis* habeantur *genimina*. { 1. *Inductio*. 2. *Exemplum*. 3. *Syllogiſmus phyſiognomicus*.

6. *Inductio* ex Collectione *ſingularium*, & *particularium* non negandâ, concludit *univerſale* ut *Bernardus* non videt omnia, *Ariſtoteles* non videt omnia, & ſic in *cæteris*, ergo *unus homo*, non videt omnia. Eliditur inductâ inſtantiâ vel unius qui *videt omnia*. ἐπαγωγὴ.

7. *Exemplum*, per unum *ſingulare* probat alterum, ob intervenientem *ſimilitudinem*, ut *laudabilis* erat *Spartanis* majorum *reverentia*: Ergo convenit etiam & nos *ſeniores* revereri. huc referantur præter *Hiſtorica*, 1. *Poetica*, 2. *Parabolica*, & 3. *Fabuloſa*, ut *Phaeton*, *Phœbi* aſcendens *currum*, mundum incendit, Ergo caveat *ambitio* nè *regimen* affectet ad *ruinam*. ejuſdem *ſeminis* non eſt Idem *proventus*, Ergo non exſpectet *Doctor*, ut æquè omnes ex eadem *inſtitutione* proficiant. *Canis* irridetur qui reijcit *carnem* ut *umbram* arripiat, videant Ergo *cænophili* nè ſimile quiddam illis eveniat. Hinc tamen non *ſtatuas* cum *quibuſdã*, *Rhetoricã*, *Poeticã*, *Hiſtoricã*, *Parabolicã* partes eſſe dialecticæ, ſed ſuppeditare tantum dialecticis *argumentandi* materiam. Firmatur ex additâ (quæ deeſt) propoſitione, *conexio*. Ejuſdem eſt cuſuræ παράδειγμα.

8. *Syllogiſmus Phyſiognomicus*, ut

Achillis

Achilles habet fortia *extrema*, Ergo eſt *fortis*. cujuſmodi ſunt quæ occurrunt paſſim, apud *Ariſtotelem* in *Phyſiognomicis*; & apud alios, in *Chiromanticis* ſuis, & morborum *hypognoſticis*. Huc ſpectant iſta *Boni* Equi indicia.

Lucius, *Anguilla*, *Serpens*, *Leo*, *Fæmina*, *Cattus*. ex quibus poſſis, de *precio* ipſius argumentari. *Olaus Magnus de Gent. Sept. l.* 17. *c.* 11.

9. *Pleonaſticus Syllogiſmus*, eſt qui *plura* argumenta *uno involvit*.

10. Eſtq; vel { 1. *Sorites*. 2. *Dilemma*.

σωρείτης κλίμαξ συλλογιστική.

11. *Sorites* eſt talis *concatenatio* propoſitionum in ſubordinata *ſerie* prædicamentali, aut cauſali, ut antecedentis *prædicatum*, ſit ſequentis *ſubjectum*, donec à *primo* ad *ultimum* concludatur, ut *Deus* quos *præcognovit*; *prædeſtinavit*, quos *prædeſtinavit*, *vocavit*: quos *vocavit Juſtificavit*, quos *Juſtificavit*, *Glorificavit*: Ergo à *primo* ad *ultimum* quos *præcognovit*, *glorificavit*; fundamentum habet in prima regula *anteprædicamentali*, & reſolvitur in tot *ſyllogiſmos* figuræ primæ, quot ſunt *termini* ſubſumpti, è quibus *proſyllogiſmi* appellantur, qui primo ſuccedunt.

δίςλαμβανόμενον Hieronym.

12. *Dilemma*, eſt *ambidextra*, *cornuta*, aut *crocodelina* arguendi forma, circumſpectè *adverſarium* implicans, ut quocunq; ſe recipiet *irretitus* tenebitur. v. g. *cenſus Cæſari pendendus* eſt *vel non*. Si *primum* concedas, *patriæ* es *Injurius*; ſi *ſecundũ*, *Cæſari*. *Baptiſmus Johannis* vel *Cælitùs* erat

erat, vel ab *hominibus*. Si dicas ab *hominibus* turbam in te *concitabis*; ſi agnoſcas fuiſſe *Cœleſtem*, cur repuliſti ?

13. Reſolvitur in *Syllogiſmum*, *Hypotheticum*, & *duos Categoricos*. Ut

Si ducas uxorem tum vel *pulchra* erit, vel *deformis*, ſed nec *hæc* placebit nec *illa*, Ergo.

Hunc *Hypotheticum*, ſic firmat, duplex proſyllogiſmus *Categoricus*.

Quæ καίνη, proſtibulum futura eſt, non eſt ducenda, ſed *pulchra* talis eſt futura, Ergo. ſimiliter, Quæ erit πόρνη, in pœnam, non ducenda, ſed *deformis* erit *talis*, Ergo. diſſolvitur oſtenſâ *diſtributionis* aut *conſequentiarum infirmitate*. *Gellius l.5. c. 11.*

14. Huc refertur βιαῖον violentum ſive *Retorſio*, qua proprio adverſarium configimus *gladio*: ut ſi dicas nolo *quadrageſimam* obſervare, quia ſum *Chriſtianus*, à refragante ſtatim *audies*, Immo quia *Chriſtianus* es, debes obſervare, *quadrageſimam*; quoniam *Chriſtiani eſt*, in *Adiaphoris*, *licitis* & *honeſtis*, legittimo magiſtratui *morem* gerere.

QUÆST.

QVÆSTIONES.

An
1. *Omnes legittimæ Conſequentiæ ex Regulis Syllogiſmorum perfectorum ſunt æſtimandæ?* Aff.
2. *Syllogiſmorum poteſtates, & Imbecillitates, Ab Ariſtotele fuſe inculcatæ, faciliùs à recentioribus tradantur, aut utilius omittantur?* Aff.
3. *Inventio medii (pons Aſininus vulgo dictus) poſſit tutiùs declinari quam tranſiri.* Aff.

CAP. V.

De Syllogiſmo Apodeictico ſeu Demonſtrativo.

1. S*Yllogiſmos explicatos* & *implicatos ratione formæ* ſequuntur *Applicati*, diſtinctæ Materiæ, quæ ſi *neceſſaria* ſit, *Demonſtrationem*, ſi *probabilis* tantum, *argumentum Topicum*, ſin *fallax* ſeu fucata, *ſophiſma* effundit. unde hìc obtineat diſtinctio Logicæ. in *Docentem* & *Vtentem*: præceſſit *Docens*, *Vtens* ſive in uſa poſita, in ſequentibus eſt afferenda.

ἀποδεικτικὸς ἐπιστημονικὸς.

2. *Syllogiſmus demonſtrativus* eſt *ſcientificus* ſecundum

cundum *quem*, eo quod *ipſum* habemus ſcimus. 2. Poſt. c. 2. S. 5. Itaq;.

3. Non eſt rerum, 1. *Caducarum*, 2. *Contingentium*, 3. vel *Senſibilium*. quia hujuſmodi non pariunt ſcientiam. 1. Poſt. c. 8. ibid. c. 38. & 31.

4. In eo præcipuè reſpicienda ſunt { 1. *Præcognita*. 2. *Principia*. 3. *Species*.

5. *Præcognoſcenda* hic occurrunt { 1. *Subjectum*. 2. *Paſſio*. 3. *Dignitas*.

6. De *Subjecto* præcognoſcendum *Quod ſit*, & *Quid ſit*, ut ſi demonſtrabis *hominem* eſſe *riſibilem*. tenendum eſt, Quod ſit *tale ſubjectum*: & *Quid* ſit, eſt intelligendum. Nam An ſit quærere, ut An ſit *Deus*, aut ſacra *Scriptura* ſit ipſius *verbum*, ælterius eſt negotii.

7. *Paſſio* præcognoſcenda eſt, non *quod ſit* ſcilicet talis ſubjecti *paſſio*, nam illud non *definitum* eſt, ſed *Quæſitum*: verum *quid ſit* generatim, ut præſcire oportet prius, quoad nomen ſaltèm, *quid ſit Riſibilitas* quàm illam homini competere certò demonſtres. ζητούμενον

8. *Dignitates* autem, ſeu maximi momenti *Axiomata*, ſunt æquè *præcognoſcenda*, quia horum præcipue interventu, demonſtratur *paſſio* præcognito *ſubjecto* inhærere. ut quia intervenit *umbra Terræ*, inter *Solem* & *Lunam*, ergo *Luna* Eclipſin

clipſin patitur. Atq; hujuſmodæ *Maximæ* (ut loquuntur) ſeu *dignitates* non incommodè ſtatuantur demonſtrationum omnium *Principia*.

9. Principia Demonſtrationis ſunt præmiſſæ quædam *indubitatæ*, quæ debent eſſe *veræ*, *Primæ*, *immediatæ*, & *cauſæ notiores* concluſionis, neceſſariæ. Poſt.c.2.Itaq;.

νοὺς. 10. *Horum* non eſt *ſcientia* ſed *intelligentia* 1. ſenſu, 2. obſervatione, 3. experientia, & 4. inductione informata, Ideoq; contra negantem *principia* ſic *explorata* non eſt diſputandum, ſed *fuſtibus* potius agendum: à talibus ἀτόποις, Apoſtolus ſe cupit liberari. 2. Theſ. 3. 2.

1. Phyſ. c. 2. t. 8.

11. Neceſſitatis hujus ſunt tres *gradus*.
1. De *Omni*.
2. *Per ſe*.
3. *Univerſaliter* quatenus *ipſum*.

Qui ſunt decantatæ iſtæ à *Ramiſtis*, omnium ſcientiarum leges, κατὰ πάντος quæ veritatis, καθ' αὐτὸ, quæ *Juſtitiæ*, & καθ' ὅλου πρῶτον quæ *ſapientiæ* ponitur, *quas* ultra *citraq́*, nequit conſiſtere *rectum*.

12. *De omni* eſt *propoſitio*, cum prædicatum ineſt *ſubjecto* & *omni*, & *omni* tempore, ut omnis Homo eſt Animal, & in *ſenectute caneſcit*, ſed hoc dicitur de *omni prioriſticè*, illud *prius* de omni *poſterioriſticè*, quod hic requiritur.

13. *Per ſe* cenſetur prædicari aliquid quod ſubjecto ineſt *immediatè*. Atq; hoc Fiat quadrifariàm,

ariàm; 1. Cum *genus* de *ſpecie*, *ſpecies dicitur* de *Individuo*, ut *homo* eſt animal, *Socrates* eſt *homo*; vel pars *eſſentialis* aut *integralis* de toto, ut, *Triangulo* ineſt *Linea*. 2. Cum *proprium* prædicatur, de ſuo *ſubjecto*. ut homo eſt *riſibilis*. 3. Cum exiſtentia, effertur de *ſubſtrato*, ut, *homo* eſt; quæ propoſitio dicitur *ſecundæ adjacentis*. 4. Cum *effectus neceſſarius* de cauſa ſua proxima *affirmatur*; ut, *jugulatus* interiit.

14. Univerſaliter *quatenus ipſum*, neceſſitatis urget *gradum*, quo non tantùm immediatione *ſubjecti*, ut in ſecundò per ſe dicendi modo: ſed etiam *cauſæ*, reciproca infertur *prædicatio*, ut *homo*, quâ homo, eſt *rationalis*, & qua *rationalis* eſt *homo*.

15. *Principia* quæ præmiſſas demonſtranti ſuppeditent habeantur præcipua

1. *Definitiones*.
2. *Dictamina naturæ*.
3. *Reſponſa prudentum*.
4. *Proverbia*.
5. *Maximæ* ſingulis facultatibus *appropriatæ*.
6. *Textus Scripturæ* Canonicus.
7. *Poſtulata*.

16. *Definitionis Medium*, demonſtrationes quam plurimas in *Phyſicis* ſuppeditat. ut ὁρισμοι.

Omne *Animal rationale* eſt *riſibile*,
Omnis Homo eſt *Animal rationale*: Ergo
Omnis Homo eſt *riſibilis*.

17. *Naturæ*, ſeu *Rationis dictamina* ſunt κοιναι

κοιναὶ iſtæ ἔννοιαι in qnibus omnes non emotæ mentis conſentiunt. quales ſunt *Quidlibet eſt vel non eſt. Totum eſt majus ſua parte.* ſi ab *æqualibus æqualia demas*, quæ relinquuntur erunt *æqualia.* vid. Euclid. Element.

Ἀποφθέγματα. 18. Ad *Reſponſa prudentum* referantur, *Conciliorum* recepti *canones*, patrum conſentientium *placita, deciſiones, ſanctiones, Apophthegmata*, quibus nunquam fuit à *ſobriis* contradictum. ut uno *abſurdo* dato ſequuntur *mille.* 1. Phyſ. *Principium* eſt, *dimidium* plus toto, quia facile eſt *inventis* addere, & periculoſus eſt *error* à *janua.*

Conf. Eccl. 10. 16.

παροιμίαι. 19. *Proverbia, Adagia, paræmiæ, ſententiæ*, Monita, quæ catholicam obtinuerunt apud doctos & indoctos aſſenſum, principiorum loco eſſe poſſunt, unde demonſtrativè concludamus. ut,

Timor Domini initium ſapientiæ,
A Jove principium: Ergo
Qui ad ſapientiam aſpirat à Deo incipiat.

Ἀξιώματα. 20. *Axiomata* ſingulis facultatibus *peculiaria* in ea *profeſſione* cujus ſunt *fundamenta*, *ſcientificas* reddunt *concluſiones*. qualia æſtimantur inter *Medicos. Hippocratis aphoriſmi*, in Jure *Civili*, & *Canonico*, *regulæ* ejuſdem *Juris*, in *Jure* noſtro *Municipali*, *Maximæ* quædam à Juriſconſultiſſimo & Doctiſſimo Judice D. *Jo. Dodridg* coacervatæ, & aliis.

λόγος βεβαιότατος. *Arctius.* 21. *Textum* ſcripturæ *Canonicum* Demonſtrationem firmiſſimam, in *credendis* & *agendis*, exhibere non negaverit cordatè *Chriſtianus*, quàm mavult quidam ἀπόδειξιν per *excellentiam*,

am, quam ἀπόδειξιν nominare.

22. *Poſtulata*, *Hypotheſes*, ſeu *conceſſa* ab iis quibuſcum agimus, *demonſtrativè* concludant adverſus *illos tantum* qui hujuſmodi concedunt. Non requiritur autem ut ſemper *vera* ſint, aut *veriſimilia*, unde tranſeant ut *Docendi*, non *Eſſendi* principia. ſic ex poſtulato terræ *motu* demonſtrabit *Copernicus* cæleſtia *phænomena*, ex *poſtulatis* nonnullis *conceſſis*, demonſtrabit *Archimedes* arenæ numerum in quovis cumulo, ſic principia *innata*, *revelata*, *data*, ad quamvis *demonſtrationem* conferunt. αἰτήματα. *Vid. digreſſ. Clavii hac de re in Sacrobоſ.*

23. Cujus duæ ſequuntur *ſpecies* { 1. *Oſtenſiva*. 2. Per *Impoſſibile*. 1. Poſt. c. 26.

24. *Oſtenſiva* eſt, quæ ex *poſitivis* præmiſſis directè concluſionem infert.

25. Eſtq; vel { 1. διότι à *priori* potiſſima. 2. ὅτι ſive à *poſteriori* per effectus.

26. *Demonſtratio* à priori eſt *Syllogiſmus* in quo *affectio* propriè ineſſe probatur *ſubjecto*, per *cauſam* proximam *eſſentialem*. & in prima figura aptiſſimè contexitur. ut

Barba ra { 1. *Omne Animal rationale eſt riſibile*, 2. *Omnis homo eſt animal rationale*: Ergo 3. *Omnis homo eſt riſibilis*.

27. Demonſtratio à poſteriori eſt cum ex *effectius notioris medio termino*, cauſa concluditur, ut

Bar Quicquid *corrumpitur* ex materia conſtat *corruptibili*,
ba Omnis homo corrumpitur: *Ergo*
ra Omnis homo ex materia conſtat corruptibili. Itaq;

28. Ab effectu ad *cauſam*, & à *cauſa* ad *effectum* datur in demonſtratione *Regreſſus* prout hæc vel iſte occurrit *notior*, Sed nullatenus *Circulus* ut *Idem* per *Idem* aut æque *notum*, aut *obſcurum* demonſtretur.

29. Utcunq; verò in omnibus (præſertim *ſpeculativis ſcientiis*) hujuſmodi demonſtrationes locum inveniant, præcipuè tamen eminent in *Mathematicis*, *Phyſicis*, & *Theologicis*, ut confirmabit obſervatio.

30. *Demonſtratio* ducens ad *impoſſibile* ſic ex conceſſis ſtringit *Adverſantem*, ut vel *concedat* quod *vis*, vel *admittat*, quod nullo modo eſt *concedendum*. Quales accurrunt *plurimæ* apud *Mathematicos* inſtantiæ.

QUÆST.

QUÆSTIONES.

An
1. *Detur Demonſtratio potiſſima?* Aff.
2. *Demonſtrationes Mathematicæ ſint certiſſimæ?* Aff.
3. *Circulus in Demonſtrando ſit ferendus?* Neg.

CAP. VI.

De Syllogiſmo Topico ſeu Dialectico.

1. *Syllogiſmus Topicus* eſt qui de quovis dato *themate*, ex locis quibuſdam *directoriis*, per *axiomata* quædam communia ſed locis illis peculiaria, non *neceſſario* tantùm (ut fit in *demonſtratione*) ſed *probabilitèr* (vel nonnunquam *conjecturaliter*) diſſerit & concludit. Itaq; ἐπιχείρημα.

2. In eo deſpicienda ſunt, 1. *Themata*, 2. *Loci*, 3. Cum *Maximis* ceu *axiomatis* intervenientibus, ut ſic diſponantur, quò promptiſſimo uſui inſerviant.

3. *Thema* eſt id quod ad diſſerendum proponitur. θήμα.

4. Eſtq; vel { 1. *Simplex.* 2. *Compoſitum.*

ἀσύγκειτον. 5. *Thema ſimplex* declarationem, & explicationem tantum admittit, quia 1. Simplex ſolummodo eſt *terminus*, ut *Deus*; vel 2. *quæſtio*, ut quid eſt *Juſtitia*? ad quod reſponderi non poteſt, *Ita* vel *non*. & *perorantium* potius, quam *diſputantium* exercet ingenia.

συγκειτικὸν. 6. *Thema compoſitum*, eſt *problema*, in utramq; partem diſcutiendum, ut

An *Metalla poſſint transformari?*

An *Monarchia* ſit optimus Reipublicæ *ſtatus*? quibus *diſquiſitionibus*, inſerviunt *loci*, & *Maximæ*.

τόποι. 7. *Loci Topici* ſunt veluti *arculæ*, unde petantur *argumenta*, *explicantia*, *probantia*, *aut amplificantia*, adminiculo *maximarum* quæ illis appenduntur, tanquam *claves* ad feras illarum aperiendas.

8. *Loci* tales deducantur, vel à { 1. *Conſentaneis.* 2. *Diſſentaneis.* 3. *Comparatis.* 4. *Conjugatis.* 5. *Limitatis.* 6. *Teſtatis.* 7. *Conjecturis.*

9. *Conſentanea* ſunt, ex quibus, *poſitiones*, & *concluſiones affirmatæ* ducunt originem.

10.

10. Suntq; duo *paria* ſe in vicem reſpicientia
1. *Cauſa* & *Cauſatum.*
2. *Subjectum* & *Adjunctum.*

11. *Cauſa* eſt quæ cauſato *eſſentiam largitur.* ἀιτία: *ejus Maximæ* ſunt *palmares*, 1. *Poſita cauſa totali, ſufficiente* & in *actu*, ponitur *effectus*, & *ſublata* tollitur, ut *Sol* ortus eſt, Ergo eſt *dies*: non *ortus*, Ergo *dies* non eſt. 2. Non aliquid cauſato confert quod non habet in ſe, vel *formaliter*, vel *eminenter*, unde illud *nihil dat*, quod non *habet*. Ut *Sol* & *Homo*, non *Sol* per ſe, generant *hominem*. 3, Et *qualis* eſt *cauſa*, *talis* eſt *effectus*, in *univocis*, & *Phyſicis*, non *æquivocis* & *voluntariis*.

12. Eſtq; vel
1. *Efficiens.*
2. *Materia.*
3. *Forma.*
4. *Finis.*

Exemplaris enim (quæ dicitur) *cauſa*, referri poteſt ad *efficientem*. Et *Cauſa* ſine *qua non*, nil aliud eſt, quam *neceſſarium antecedens*, ut *lumen* ad *legendum*.

13. *Efficiens* eſt cauſa à *qua res eſt.* Ab hac, ποιητικὴ. ſive *principali* vel *inſtrumentali*, ſive *neceſſaria* vel *contingenti*, ſeu *per ſe*, vel cum *aliis* προηγουμένη *interne* movente, vel συνκαταρκτικὴ *exteriùs* ſtimulante, ducantur argumenta. Ut

Deus eſt *Bonus* (immo ipſa bonitas) Ergo
Omnia quæ fecit fuerunt valde *bona.*

Io. 8. 44. *Diabolus* eſt *Mendax*, & *Pater ejus*: Ergo

• Gen. 1. 31. Cum *mentitur* ex *propriis* loquitur, quia *Qualis eſt cauſa, Talis eſt effectus.*

Ὕλη. 14. *Materia* eſt *cauſa* ex *qua* res eſt, ut qualis eſt materia, tale eſt *materiale*, ut

Pſ. 115. *Idola* ſunt ex *ligno* aut *lapide*: Ergo

Habenda ſunt tantum pro *diis ligneis* & *lapideis*.

μόρφη. 15. *Forma* eſt *cauſa* per *quam* res eſt, quæ dat *nomen* & *eſſe*. unde *cui tribuitur*, tribuendum eſt *formatum*, & è *contra*, ut

Pigmei ratione utuntur, Ergo ſunt *homines*.

Pſittacus garrit abſq; diſcurſu, Ergo

Non eſt Animal *rationale*.

τέλος. 16. *Finis* eſt cauſa *cujus gratia* res eſt. unde

2. Poſter. eſt *primus* in *intentione* licet *ultimus* ſit in *executione*.

2. Phyſ. 2. Et *intenditur* ſemper ab *efficiente*, ut *bo-*

5. Metaph. *num* cum quo convertitur. 3. Et mediis ipſius *introductioni*, non *productioni* inſervientibus eſt *præſtantior*. Hinc promptum & pium eſt argumentari, *Deus* contulit *media* ad bene agendum, Ergo quò ſis inſtructior, honoratior, aut ditior, tantò es ipſius cultui *obſtrictior*. Fundavit *Gualterus Stapledon* Collegium *Exonienſe*: Ergo, Eo *fine*, ut *ingenioſi* in eo educarentur, non ut *otioſi* ſaginarentur.

ἀσώματον. 17. *Cauſatum* eſt quod è *cauſis* producitur, ſive *opus* ſit, ſive *operatio*, ſublata autem *cauſa* tollitur *operatio*, ſed non ſemper *opus*, ut *Ariſtotele* mortuo, manent ipſius *Scripta*, ſed non *ſcriptio*. unde Salvator arguit,

Facio

Facio *opera* Patris mei, *Ergo*
Pater *in me* est, & ego *in eo*.
Hoc anno non erat *Lunæ Eclipsis*, Ergo
Non directa oppositio Solis & Lunæ in *Draconis* cauda.

18. *Subjectum* est, cui aliquid *adjungitur*, per modum. 1. *Inhærentiæ*, 2. *Adhærentiæ*, 3. *Continentiæ*. Ita semper, ut eo *posito*, ponitur aliquod *adjunctum*, *proprium*, necessario, *commune*, contingenter, unde argumenta, ὑποκείμενον.

Sol *ortus* est, Ergo *Lucessit*.
Dedit mihi *Annulum*: Ergo, *Sigillum* annexũ.
Ostendit *locum*: Ergo, Aliquod *corpus* in eo locatum.

19. *Adjunctum* est quod *subjecto* accedit. ut 1. *Receptum*, 2. *Occupatum*, 3. *Antecedens*, 4. *Connexum*, 5. *Consequens*. quibus positis subjectum arguitur. Hinc *Illationes*. proximus ardet *Ucaligon*: Ergo, Ignis ipsius domui erat injectus. προσκείμενον ἐπίθετον.

Cœlum videtur: *Ergo*, est corpus Coloratum.
Gestat fronte *Cicatricem*: Ergo,
Erat vulneratus.
Apparet *crepusculum* matutinum: Ergo,
Ortus Solis est *subsequuturus*.
Destitutus est *Gratia Divina*, Ergo,
Necessario evadit *nequam*.

20. Ex *dissentaneis*; *negativæ* omnes inferuntur *conclusiones*, quia posito ex his *uno*, alterum submovetur, licet *opposita* juxta se posita magis *elucescunt*. Hinc concluditur ex 1. *Distinctis*; *Socrates* sedet: Ergo non *stat*. 2. Ex *diversis*; *Ulisses* διακρινόμενα.

ſis facundia obtinuit; *Achillis* arma: Ergo, non *fortitudo*. 3. Ex *diſparatis* *Truncus* eſt *priapus*: Ergo, Non *Deus*. 4. Ex *relatis*, *Pater* erat *Anchiſes Æneæ*: Ergo non *Filius*. 5. Ex *adverſis*, *Æthiops* albeſcit dentibus: Ergo, non *nigreſcit*. 6. Ex *privantibus*, *Appius* erat cæcus: Ergo, non potuit *Clodiam* videre. 7. ex *Contradicentibus*, ut Ex *nihilo* creatus erat *mundus*: Ergo, non factus ex præexiſtente *materia*.

συλλογιστικὰ

21. *Comparata* in *Quantitate* ex 1. Paribus, 2. *Majoribus*, 3. *Minoribus* ſuppeditant argumenta. juxta Canonem illum πολυδρύλλειον, quæ *conveniunt* uni *tertio* conveniunt *inter ſe*, quæ diſcrepant ſunt *imparia*; ideoq; vel *majora*, vel *minora*. Ut Omnes *Apoſtoli* pares fuerunt *Petro*: Ergo *Petrus* in eos non obtinuit *Suprematum*.

Herodot. *Lucian.*

Pithius potuit *Xerxen* cum toto *exercitu*, *convivio* accipere: Ergo, Multo magis *familiam propriam* paſcere. *Menippus*, Charonti, pro *naula*, *obulum* non potuit ſolvere: Ergo, Multo minus *talentum*. Sic ex loco *ſimilium* & *diſſimilium* in *qualitate* profluumt argumenta, *Coratho*, *Dathani*, & *Abiramo* exitialis fuit in *Magiſtratum* Politicum, & Eccleſiaſticum *Rebellio*: Ergo, Similis ſors illos manet qui in eundem impingunt *lapidem*.

ὅμοια ἀνόμοια.

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Oderunt peccare boni, virtutis amore. Ergo, hac in re ſunt planè diſſimiles. Huc referantur *parabolæ* ex *hominum Actionibus*, aut *conditionibus* deſumptæ, ut *ſeminanti* ex eodem *ſparſo ſemine* non eſt idem *proventus*: Ergo, nec erit *Idem verbum*

bum Dei *prædicanti.* vel *fabulæ ex brutis.* Ut *Gallus Gallinaceus* nihili facit *gemmam*: Ergo Nec *ſtultus* faciet ſapientiam.

22. *Conjugata*, eodem modo, ratione. 1. Denominationis, & 2. Derivationis ſubminiſtrant conſequentias, ut Bonitas ineſt *Diis*: Ergo *Dii* boni ſunt: & quia boni, Ergo eorum *bonitate* eſt utendum. *Balſamum* eſt *Baal* ſcheman: *Ergo*, Oleum præſtantiſſimum. Ita argumentatur *Dionyſius* dum illorum templa, *ſpoliabat*. Natus ex Virgine dicitur *Immanuel*, *Deus nobiſcum*: Ergo θεάνθρωπος *Deus homo.* συζυγα.

23. *Limitata* reperiũtur in *definitionibus* & *diviſionibus*, ſub hoc *canone*, quibus convenit *definitio & diviſio*, *convenit definitum* & *diviſum*. ut convenit *Papæ* vel *Turcæ Antichriſti* Definitio: Ergo *Papa* vel *Turca* eſt *Antichriſtus*. Conveniunt *anima*, hominis & *corpus Pygmeo*: Ergo, *Pygmeus* eſt *homo.* ὡρισμένα.

24. *Teſtimonia*. 1. Divina, exhibent certa argumenta, ut dicit hoc *Scriptura*, Ergo *veriſſimum* eſt. 2. *Humana*, quæ ab *omnibus*, aut *pluribus*, aut *ſapientibus* claſſicis authoribus, aſſeruntur, aut negantur, corroboratam figunt *opinionem*, donec *contrarium* demonſtretur, ut Claſſici omnes authores ſtatuunt *Terram ſtare*, & *cœlum* moveri: Ergo, hoc tenendum donec *demonſtretur* contrarium. μαρτύρια αὐθεντικά.

25. *Conjecturæ* ſuppeditant *argumenta*, quæ utcunq; ὡς τὸ πολὺ non *fallunt*, *fallere* nonnunquam tamen poſſunt & ſolent. ut, Illud in *Salomonis* judicio, è meretricibus contendentibus στοχαστικὰ.

una

una noluit Infantem *dividi*, Ergo, Illa fuit ve-
1. Post c. 34 ra *mater*, & illud *Aristotelis*, convênit *Fœneratorem:* Ergo *cupit* ab illo pecuniam *mutuari*. Quo spectant *Astrologica*, *Physiognomica*, & *Cheiromantica* apud *Aristotelem*, *Ptolomeum*, *Haly*, *Taismerum*, & alios. Ut Nubes oritur ab *occasu:* Ergo,
Luc. 12. Imber imminet. *Auster* flat: Ergo, erit æstus, & similia.

QUÆSTIONES.

An
1. *Loci Topici* 359. *Aristotelis*, *non obruunt potius discentis memoriam, quam methodice instituunt*? Aff.
2. *Decem Rami loca, per omnia sint probanda*? Neg.
3. *Non Rhetoricis æquè ac Logicis, ad tractanda themata simplicia & composita loci Topici possunt accommodari*? Aff.

CAP.

CAP. VII.

De Syllogiſmo Sophiſtico.

SECT. I.

De Sophiſtarum Metis, & Subterfugiis.

1. SYllogiſmus *Sophiſticus* eſt qui conficitur ex iis, quæ videntur *probabilia*, nec tamen ſunt. 1. Top. c. 5. 8. & 1. Elench. c. 2. S. 2.

2. Differt autem à Syllogiſmo. 1. *Apodeictico*, quia nocet potius quam docet. 2. à *Dialectico*, quia eludit potius *veritatem* quam falſitatem *elidit*. Et 3. à *piraſtico* ſeu ſyllogiſmo *Tentativo*, quia non tam *Adverſantis* explorat vires, ſed ſuum *virus* effundit. cùm 1. *Opponendo*. 2. tùm *Reſpondendo*.

3. In *Opponendo* quinque *Sophiſtarum* obſervantur *Metæ*, quibus (ut Muſcas *Araneæ*) incautiores illaqueant
1. *Elenchus*.
2. *Falſum*.
3. *Inopinabile*.
4. *Solæciſmus*.
5. *Nugatio*.

4. *Elenchi* cogitur *Reſpondens*, vel affirmare, ἔλεγχος *Contra-*

contradictoria. vel *negare* quod anteà conceſſerat. Hb.

ἀπατητικὸς — 5. *Falſo* gravatur, qui nulla veritatis *ſpecie*, ſe poteſt expedire.

ψεῦδος παράδοξον — 6. *Inopinabile* admittitur, cum aliquis aliquod *paradoxon* abſurdiſſimum, quod *Phreneticum* videatur, aſſerere cogitur. ut Inventos nuper eſſe à quodam *Icaro* aſcendente, in *Luna Incolas*.

συλλογισμος. — 7. *Solæciſmus* tantùm exponit ceſpitantem, *Grammaticaſtrorum* ſcalpellis. quod non magni fecerunt *Monachi* momenti. Nec deſunt hodiè *emunctiores*, tam *Dichotomiſtæ*, quam *Jeſuitæ* qui ſponte

ἀδολεσχία. — 8. *Nugantur*, quo oſtentent in *Heterogeneis* accumulandis, ex immenſa *Lectione* affectatam *ſubtilitatem*, ſic ut non opus ſit, ut *Sophiſta*, ad hanc *cocciſmi* metam eos adigat.

κατὰ ἀνθυποφορὰν

1. *Reſponſio* ad *hominem*, cum rei non poteſt ſatisfacere. Sic, hoc argumentum eſt talis *Jeſuitæ*, vel alterius *Nugatoris*, cui jamdudum à *tali eſt reſponſum*, unde non opus eſt *mea* ſolutione.

2. *Retorſio* per *oppoſitionem* paris aut majoris difficultatis vel authoritatis, ut cum hoc ænigma propoſuiſſet *Dametas* apud *Poetam*.

Dic

Dic quibus in terris & eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat Cœli ſpatium non amplius ulnas. *Virg.*

non *ſolvit Menalcas*, ſed *opponit* nodum æquè difficilem.

Dic quibus in terris inſcripti nomina Regum,
Naſcuntur flores, & Phyllida ſolus habeto.

Sic cum tu *Platonem*, ego *Ariſtotelem* contravenientem urgeo.

Non valet exemplum quod litem lite reſolvit.

3. *Perſonæ exagitatio*, re omiſſa, cujuſmodi eſt, illa meretricis apud *Comædum*. ſi ego dignus hac *contumelia*, at tu *indignus* qui faceres tamen: Hoc deſtruit tuorum *principia*, vel tuam *cauſam*, quare non erat à te urgendum. *oppoſitum* eſt in *oppoſito*, &c. ἀπόλεξις.

4. *Supercilioſa* eorum qua urgentur *elevatio*, & exſufflatio, ſic *ſurcaſticè* lancinat Jeſuita *quendam* è noſtris quem non potuit refutare, *Samaritanam* famem apud illos graſſari, ubi tanti æſtimatur *Caput Aſini*, vel *cabus* columbini ſtercoris. ἐξωθισμος. *Greiſerus. Daneum. 2. Reg. 6. Lib. 6.*

9. In reſpondendo plura uſurpantur κρυφύγια ſive *ſubterfugia*, nempè

παρέκβασις ἀποπλάνησις.

5. *Digreſſio*, ut (upupæ inſtar) prementem a propoſito abducat. Sic *cauſidicus* iſte apud *Martialem*, quem revocat ad rem præ manibus *cliens*: *Jam dic Poſthume de tribus capellis*.

γοργονεῖον.

6. *Mormoluceion Antiquitatis*, & *Infallibilitas*, & *authoritas* pſeudonymæ Eccleſiæ. hæ ſunt *papicolarum* incitæ cum non habeant quod reponunt ſolidius. Audiviſtis *quid dictum ſit Antiquis*, qui Eccleſiam (ſcilicet *Romanam*) non audiverit ſit tibi tanquam *Ethnicus* aut *publicanus*. vel punctius illud *Buſdragi*, *Eccleſia* eſt *Eccleſia*, huic tu teneris *obedire* vel *comburere*.

ἀνεσοκιν. Sociniani.

7. *Tergiverſatio* quorundam *Novatorum* qui *expreſſa* Scripturæ *teſtimonia* ſic ſatagunt declinare, 1. Poteſt aliter hic *locus* exponi, & *phraſes*, & *verba* aliter ſonant *alibi*: Ergo *conſenſus* doctorum *vetuſtorum* & *modernorum* hinc nil certi *Eliciat*. 2. Vel *ſpiritus* aliter nobis *dictat*, qui excitavit *Piſcatores*, ut *Doctores* inſtituerent. cui *mundi* ſapientia, eſt *immunda* ſtultitia: Ergo, Furcillandi ſunt *Academici*, ut noſtri tantum *Enthyſiaſtæ* audiantur. 10.

10. In hiſce omnibus faceſſunt præcipuum negotium. 1. *Falſa.* 2. *Confuſa.* 3. *Obſcura.* quibus generatim, eſt occurrendum, per (1.) *Negationem* falſorum, (2.) *Diſtinctionem* confuſorum, (3.) *Explicationem*, obſcurorum, & depravatorum.

11. *Fallacia* autem omnis *Sophiſtica*, eſt, vel in { 1. *Forma.* 2. *Materia.*

12. *Fallacia* quævis in forma *diſſipatur*, & *diſſolvitur* per *revocationem* & examen omnis *argumenti ſophiſtici*, ad *regulas* præcedentes *ſyllogiſticas*, quia *Rectum* eſt ſui *index* & obliqui, ut patet ex dictis.

SECT. II.

De Sophiſmatis in Dictione.

1. F*Allacia* contingat ratione *materiæ* vel, { 1. *In Dictione.* 2. *Extra Dictionem* in *ſententia.* 1. Elenchorum. C. 3. §. 1.

παρὰ τὴν λέξιν. ἔξω τῆς λέξεως.

2. *Fallaciæ in dictione* enumerantur ab *Ariſtotele*.
1. *Æquivocatio.*
2. *Amphibologia.*
3. *Compoſitio.*
4. *Diviſio.*
5. *Accentus.*
6. *Figura Dictionis.* quibus addatur (ſi placeat)
7. ϰαπηλεία ſub *religionis* prætextu.

Comprehenſæ in hoc *memoriali*, *Æquivocans*, *Amphi*, *Componit*, *Dividit*, *Ac*: *Fig.*

ὁμωνυμία 3. *Fallacia Æquivocationis*, eſt quando ex unius vocis *multiplici* ſignificatione, ſophiſticè concluditur, ut.

Carmina Paulus emit, recitat *ſua* carmina *Paulus*, Nam quod *emis*, poſſis dicere jure *tuum*. Tali æquivocatione deluſerunt Romani *Antiochum*, cum quo pacti erant de *dimidio navium* reddendo. quod præſtiterunt, ſingulas *naves* biſecando, & *dimidium* cujuſq; reddendo. Hanc *impoſturam* egregiè auxit hodierna Jeſuitarum *Æquivocatio.*

4. Eliditur per *Diſtinctionem Æquivoci*, ut in *primo* exemplo, *Carmina* dici potuiſſent *Pauli* vel 1. quia *compoſuit* vel 2. quia *emit*, quæſtio erat an *ſua* erant *compoſitione*, non *Emptione*. In *ſecundo*, *pactum* erat de *dimidio numeri*, navium reddendarum, non de *navibus dimidiatis*, quoad partes integrales.

5. Huc referantur *fallaciæ* 1. ex verbi *Inſolentia*, ratione *vetuſtatis*, aut *novitatis*, quia verbum

bum in uſu *deſiit* eſſe, vel non cæpit eſſe. 2. ex *tropo* propriè uſurpato. 6. Top. c. 2. 2. Poſt. c. 3. ſic quidam tam *oſcè* loquuntur ut non intelligantur; ut is, qui pro *teſtudine ſive limace* poſuit

Herbigradam tardigradam domiportam,
ſanguine caſſam.

Et alius *ſputatilica* dixit *Crimina*. alter ad probandum plures mundos, illud arripit de *Leproſis*; annon decem ſunt *mundi*? Quibus & *ſimilibus* reſpondendu m, ἐ μανθάνω. Explices teipſum vel ut Rufius Siſenna in *Bruto*, *ſputum* quid ſit *ſcio*, *tilica*, neſcio. Cicero.

6. *Fallacia amphiboliæ* eſt cum *Oratio* in varios *ſenſus* exponi poteſt. Ut *Oraculum* illud ad *Cræſum*. ἀμφιβολία

Cræſus halyn penetrans magnam pervertet
opum vim.

Intelligi poteſt vel *opum propriarum*, vel *Cyri*. Sic aliud ad *Pyrrhum*.

Aio te Æacida Romanos vincere poſſe.

Accepit *Pyrrhus* de promiſſa ſibi *victoria*, ſed ſecùs evenit. *Diabolus* excuſat *Amphiboliſta*, ſe prædixiſſe, *Romanos Pyrrhum* vincere poſſe, non *Pyrrhum Romanos*.

Ergo hic priùs conſtet de *ſenſu*, quàm aliquid indè concludatur.

7. *Fallacia compoſitionis*, eſt quando a benè *diviſis* ad male *conjuncta* fit *proceſſus*. *Ariſtoteles* de Interp. c. 11. Ut σύνθεσις

Duo & tria ſunt paria & imparia.
Quinq; ſunt duo & tria: ergo
Quinq; ſunt paria, & imparia.

Sol. Duo & tria *diviſim* ſumpta ſunt numerus *par* & *impar*. non *conjunctim* in *quinq;*, ut minor habet propoſitio.

διαίρεσις

8. *Fallacia Diviſionis*, eſt quę a benè *conjunctis* ad malè *diviſa*, & è contra, concludit. Ut

Impoſſibile eſt ſedentem ſtare.
Petrus ſedet: ergo
Impoſſibile eſt ut ſtet.

Sol. Impoſſibile eſt ut *ſtet*, quando *ſedet* ſenſu *conjuncto*: hoc tamen non obſtet quo minus ſurgat & *ſtet* ſenſu *diviſo*.

προσῳδία

9. Ex *Accentus* varia *diſpoſitione*, aut *neglectu*, oritur *Proſodiæ fallacia*. Ubi *geſtus & modus* pronunciandi ſæpiùs variat *ſententiam*. Exempla hic allata vix ſunt appoſita. Ut

Omnis iucuria *eſt reprehendenda.*
Senatus *eſt in Curia:* ergo,
Senatus eſt reprehendendus.
Equus *eſt quadrupes.*
Judex debet eſſe æquus: *ergo*
Debet eſſe quadrupes.

Sol. Tollenda eſt hæc tantùm diſtinctione. *Æquivocatio*, ad quam exempla hæc etiam referantur.

σχῆμα λέξεως

10. Per figuram dictionis *rarior* & *craſſior* eſt *deceptio*, quia diſſimilitudo in ijs quę pro ſimilibus obtruduntur, aut *tranſitus* a *genere* ad *genus*, a *lippis* fere & *tonſoribus* deprehendatur. Ut, Illa puerilia Caſeus

Caſeus eſt nequam. *Melancht.*
Tu es Caſeum: *ergo*
Tu es nequam. &
Quicquid *non amiſiſti* habes.
Cornua *non amiſiſti:* ergo
Habes cornua.

Sol. Aliud eſt Caſeum eſſe, aliud Caſeum comedere. 2. Aliud *amittere* ſimpliciter, aliud illud amittere quod *anteà habueras.* Poſſis habere quod anteà habueras & non *amiſiſti*; tranſeat major igitur quicquid ex *habitis* non amiſiſti *habes.* Sed tum falſa erit *aſſumptio* de *Cornubus*, quia talia nunquam habuiſti.

11. *Cauponatio* verbi, eſt deceptio ſimplicium ſub *pietatis* prętextu. 2.Cor.2.17. 2.Tim. 3.6. Sic prędicatio urgetur ut unicum ſalutis *medium*, ac ſi nulla alia eſſet niſi ex *ſuggeſtu declamatio*, & *ſpiritus* ducens, in omnē veritatem, ac ſi *probandi* non eſſent *Spiritus*, an ſint *ex Deo.* Ita meritum apud antiquos non importat ex parte *Dei retributionis debitum*, ſed ex parte *rei* bonum opus ſimpliciter.

καπηλεία τοῦ λόγου
μώρφωσις εὐσεβείας 1.Io.4.1.

SECT. III.

De Sophiſmatis Extra dictionem.

1. F*Allacias* in *Dictione*, Commitantur Extra *Dictionem* ſophiſmata. Quę non in *verborum* tendiculis, ſed in *rerum* ſubdolis com-

miſſuris nectunt inſidias. Itaq;

2. *Limitanda* ſunt hic *Extravagantia*. 2. rectificanda *diſtorta*, & *luxata*, ſuis locis reponenda. Sic ut 3. Quid controvertitur, dilucidè ſub dio conſtituatur.

3. *Tales* autem vulgo numerantur *Fallaciæ*.

1. *Ex Accidente.*
2. *A dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter.*
3. *Ignoratio Elenchi.*
4. *Ex conſequentia.*
5. *Petitio Principij.*
6. *Non Cauſa pro Cauſa.*
7. *Multiplicis Interogationis.*

Hoc μνημονικῶ contractæ.

1 2 3 4 5 6 7
Acci, Quid, Ignarus, petit, infert, Cauſa, rogat, plus.

μετὰ τὸ συμβεβηκὸς

4. *Fallacia accidentis* eſt, cum duobus connexis attribuitur *eſſentialiter*, quod alteri eorum tantum convenit per accidens. Ut

Quod ego ſum *tu* non es.
Sed homo *ego* ſum: *Ergo*
Tu *non es* homo.

Sol. Negatur major, ſi intelligis *eſſentialiter*. Conceditur, ſi accipias *Perſonaliter*. ſed tum minor non quadrabit, quę *hominem* obtrudit, pro *Perſona*. Sic

Quicquid emiſti, Commediſti.
Carnes crudas emiſti: *Ergo*
Carnes crudas Commediſti.

Sol.

Sol. Major loquitur de *ſubſtantia*, concluſio de *qualitate* & ſubdola *Accidentis* interpoſitione.

5. A Dicto *ſecundum* quid ad *dictum ſimpliciter* oritur fallacia, cùm illud quod aliquo tantum reſpectu ſit *verum*, abſolutè *verum* eſſe concluditur undè illud. κατὰ τὸ ὡς τὸ ἁπλῶς

Qui dicit te eſſe animal dicit verum.
Qui dicit te eſſe Aſinum, dicit te eſſe animal: Ergo,
Qui *dicit te eſſe aſinum, dicit verum.*

Sol. Animal in majori generatim ſumitur, quod perperam minor ad *Aſinum* reſtringit. vel ita limita *majorem*, Qui dicit te eſſe animal rationale dicit *verum*, & tunc aſſumptio erit apertè *falſa*. Sic non ſequitur

Nulla fides pietasq; viris, qui Caſtra ſequuntur:
Ergo, omnes *Milites* ſunt *impij*.

Sol. Quia dictum hoc non eſt *ſimpliciter*, ſed communiter verum, quia maxima ex *parte* ſolent eſſe tales.

6. *Fallacia* ab Ignoratione *Elenchi*, eſt, Cum ea pro genuinis *contradictorijs* accipiuntur quæ non ſunt talia: Ut ἄγνοια τοῦ ἐλέγχου

David erat vir ſecundum cor Domini:
Sed,
David *erat* Adulter: *Ergo*
Adulter *poteſt eſſe vir ſecundum* Cor Domini.

Sol. Non erat *Deo cordi* quà *Adulter*, ſed quà pœnitens poſteà, & *obſequens*. Sic.

Cretenſes *ſunt mendaces. Sed*
Epimenides *qui hoc* dixit *erat* Cretenſis
ergo *ſic* dicendo *eſt* mentitus.

Sol. Nil obſtat quo minus *is* qui in *pluribus*, & pluries ſolet *mentiri*: in alijs, & alio *Tempore*, Quod *res eſt* dicat. Tam latè patet hæc *fallax machina*, ut facilè ad *eam reliquæ* reducantur *fallaciæ*.

παρὰ τὸ ἐπόμενον.

7. *Fallacia conſequentis* eſt cùm *conſequens* videtur inferri ab *Antecedente*, quod non infertur. Ut,

Optimè verſatur in rebus Geographicis.
ergo *omnes* regiones *peragravit*.
Bonus Chriſtianus *obtemperat* magiſtratui: *ergo*
Omnis magiſtratui *obtemperans eſt* bonus Chriſtianus.

Sol. Non ſequitur, ut ex *regulis* patet converſionis, è quibus & è Syllogiſmorum *Canonibus* omnes *conſequentiæ* ſunt æſtimandæ.

8. *Petitio principij* eſt, Quando id ipſum quod præcipuè controvertitur, ad ſui ipſius *probationem*, vel illud quod *æquè controverſum* vel ignotum eſt, aſſumitur. Ut ad probandum *Proteſtantes* eſſe hæreticos aſſumunt *Papicolæ* ſe eſſe veros *Catholicos*, & ad *Epiſcopos* è medio tollendos, arripiunt *Schiſmatici* illos omnes eſſe *Antichriſtianos*. Atquî hoc eſt τὸ ἐρινόμενον, quod eſt in quæſtione; non *poſtulandum*, aut *emendicandum*, ſed probandum.

εἰλῆφθαι τὸ λαμβάνειν τὸ ἐν ἀρχῇ 2. Prior. c. 16.

μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον

9. Non *Cauſa* pro *Cauſa* obrepit deceptio cum,

tum aut *cauſa* non *vera*, pro *verâ*; aut non *homogenea*, pro genuina; aut *Inſufficiens*, pro *ſufficiente*; aut *partialis*, pro *totali*; aut *cauſa* per *accidens*, pro cauſa *per ſe*; aut *remota*, pro *proxima* admittitur. Ut

Vinum inebriat, *ergo malum. eſt*

Sol. Non vinum eſt *Ebrietatis* Cauſa, ſed *Ingurgitantis* intemperantia. Sic non *Moſis Legatio* erat cauſa *Indurationis* cordis *Pharaonis*, ſed innata *pravitas*.

10. *Fallacia* latet in *pluribus interrogationibus*, cum ita complicantur in uno *quæſito* multa *propoſita*, ut unica illis *reſponſio* adhiberi non poteſt. Ita in hac *quæſtione*, *deſiiſti Latrocinari*? ſi affirmas, agnoſcis *te Latronem* fuiſſe, ſi *neges* fateris te eſſe. ſic An nonnullæ *ceremoniæ* ab hominibus introductæ in *Eccleſiam* ſint ferendæ, ſi *neges*, tollis ἐυταξίαν, ſi *affirmes*, *Servatorem* non attendis, promulgantem, *Fruſtra me colunt mandatis hominum*. *Sol.* Occurrendum in talibus *diſtinguendo* cautè, inter *ceremonias typicas*, & ἐυταξίας, ut *priores* abrogatas, *ſecundas* admitti poſſe cum *dilectu* intelligas.

περὶ τὸ τὰ πλέω ερωτήματα.

Math. 15.

QVÆSTIONES.

An
1. *Logici ſit, de ſophiſmatis dare præcepta?* Aff.
2. *Omnes Elenchi, ex regulis de Syllogiſmo perfecto traditis, commodè poſſunt diſſolvi?* Aff.
3. *Facilior* ſit *Ramiſtica* quam *Ariſtotelica* fallaciarum *expediendi Methodus?* Neg.

TRACT.

TRACT. V.

De *Methodis.*

1. QUI *Logicam* juxta *triplicem* Intellectus *operationem* distribuunt: *discursum* statuunt duplicem. 1. *Illativum*, ad quem Doctrinam *Syllogisticam*, & 2. *Ordinativum*, ad quem *Methodicam* referunt. quibus vero placet in *Inventionem* & *Judicium Dialectices* partitio, sic de *judicio* ineunt rationem. ut vel 1. de *vero* aut *falso*. 2. *Consequente* vel *inconsequente*. 3. *Ordinato* & *Confuso* ferat sententiam. *primum* dirigunt propositionum. *Secundum* Syllogismorum: *tertium*, An aliquid sit *ordinatum* aut *confusum* informant, succinctæ *Methodorum Regulæ*.

2. *Methodus* est rerum *Inveniendarum* aut *Tractandarum Ordinata Inquisitio* & *dispositio* quâ faciliùs *ignota* eruantur, & eruta *discantur*. Itaq;

3. Vel *Incognita* quærit, & invenit: vel *inventa* & *judicata* disponit ad propriam *Informationem*, & aliorum *institutionem*.

4. Eſtq; vel
1. *Euretica.*
2. *Synthetica.*
3. *Analytica.*
4. *Topica.*
5. *Dramatica.*
6. *Hiſtorica.*
7. *Cryptica.*

Conſer. Pacii 7. Methodos Inſtit. Log. p. 86.

5. *Euretica* ſive *Inventiva* per 1. *Senſum.* 2. *Obſervationem.* 3. *Experientiam.* 4. Et *Inductionem.* Extundit, & explorat *Axiomata*, ex quibus ritè *diſpoſitis* & *connexis Artes* prodeunt & *ſcientiæ.* Ita contendit *Ramus Euclidis elementa*, ex veterum *Inventis*, cum aliquo *proprio* authoris *auctario*, in *Syſtema* coaluiſſe, quod in recentioribus noſtris *Magiſtris ſententiarum*, eſt etiam perſpicuum. αἴσθησις ἱστορία ἐμπειρία ἐπιστήμη.

6. *Methodus Synthetica*, per explicationem, 1. *Principiorum.* 2. *Affectionum.* & 3. *Specierum*, Dati *Thematis*, vel *ſubjecti*, In 1. *Definitionibus.* 2. *Diviſionibus*, & 3. *Regulis*, quæ debent eſſe κατὰ παντὸς, καθ' αὐτὸ, καθ' ὅλου θεωρητὸν, univerſales, *ſcientiæ* præ manibus *propriæ*, & quantum fieri poſſit *reciprocæ. Theoreticas* tantùm ſivè *objectivas*, tradit *ſcientias.* ſic,

7. *Naturalis Philoſophia*, poſt *propoſita*, & *expoſita* corporis *naturalis* (quod ipſius ſtatuitur *ſubjectum*) *principia*; & *Affectiones* nempè, *Motum*, *Locum*, & *Tempus*, explicatas; deſcendit ad ipſius *ſpecies*, nempè *corpora incorruptibilia* & *corruptibilia*, ordine eventilandas, donec integram ipſius

ipsius *compagem*, suis cultoribus concinnaverit.

8. *Methodus Analytica*, præcipuè insudat *practicis*, ubi 1. *Finem* intuetur, 2. *Subjectum*, sive *Informationis*, *Tractationis*, aut *Operationis*, (ut loquuntur recentiores) perpendit. Unde 3. conquirit *media* quibus iste *finis propositus*, in illud *subjectum* introducatur. Sic,

9. In *Ethicis Aristotelis* ad *Nichomachum*, habemus 1. Summum *Bonum*, ut *finem* propositum, cujus 2. Capax est homo tantum ut *debitum subjectum*, 3. Quem assequi debet *contendere*, per *virtutum Intellectualium*, *Moralium* & *Homileticarum* media, ut tandem in *contemplatione satisfactoria*, perturbatus animus conquiescat. ubi (ut antea etiam in *methodo Synthetica*,) suis locis *Transitionum* notæ sunt adhibendæ. v.g. *fuit hoc*, *sequitur illud* &c. quod non parùm *Lectorem*, aut auditorem reficit, & dirigit.

10. *Topica Methodus* reducit omnia in quavis *disciplina*, aut facultate tractanda, ad certa quædam *Capita*. Sub hac dispositione extant *Philippi Melanchonis*, *P. Martyris*, *Musculi*, & aliorum *loci*, ad captum *Discentium*, sine *Pædantismis implicationibus* accommodati, quod *utile* fortasse esset in *cæteris scientiis* observari ut nos hic.

11. *Dramatica* procedit *Dialogisticè*, & *Catechisticè*, qua enituit *Plato*, & ipsius *Symmistæ*, nec alia potest esse *foro* & *scenæ* accommodatior, aut politicis *consultationibus* & *disquisitionibus* agendi modus, utcunq; in *Scholis Aristotelica* potiùs retinenda est ἀκρίβεια. 12.

12. *Hiſtorica*, juxta *Loca*, *Tempora*, & ſucceſſionum *periodos*, per *Intervalla*, & *Epochas* inſigniores diſponit *res narrandas*: nec tam de *Factis* interponit *cenſuram* (quod nimium quibuſdam *ſupercilioſis* nimis eſt *familiare*) quam *quid factum ſit*, declarat perſpicuè.

13. *Cryptica* demum *Methodus*, arbitraria prorſus eſt, pro cujuſq; *genio* & *ingenio*. hanc *Poetæ* præcipuè & *Oratores* liberius arripiunt pro re nota. ut delectent vel *flectant* variè affectos *auditores*, aut *Lectores*. Quale eſt illud *Homeri* (laudatum ab *Horatio*) *artificium*, ubi *Uliſſem* introducit præteritos caſus recolentem apud *Alcinoum*. & *Virgilii* Imitatio, in *Æneæ* rogatu *Didonis* enarratione: quorum premunt vestigia recentiores *Calagius* in *Biblidos*, *Friſlinus* in *Hebraidos*, *Du-Bartas* in deſcriptione *Clipei Barach* à *Debora* accepti, & è Noſtratibus *Chaucerus* in fabulis *Canterburienſibus*. *Spencerus*, in *rotulis* per *Britamart*. in *Memoriæ* Muſæo *inventis* & paſſim alii.

14. In Methodis omnibus generatim (prout uſus tulerit) hæc quinq; ſunt declinanda. 1. *Confuſio* in *partium* aut *Artium* commixtione; 2. *Periſſologia* in tractandi *tædio*. 3. *Hiatus* ob *defectum* connexionum. 4. *Antilogiæ* inter partes *pugnantes* ejuſdem *ſyſtematis*. 5. *Imprudentia* in tota *ſtructura* quæ *Lectorem* obtundat.

QUÆSTIONES.

An
1. *Ars Memoriæ non promptior aut firmior habeatur ex facili Methodo, quàm ex locis & Idolis Imaginariis?* Aff.
2. *Facilius percipiantur artes per ſyſtemata dichotomiſtica: quam in diſtincto quodam progreſſu per certos quoſdam Locos & Capita?* Neg.
3. *Septem quæ hodiè obtinent Dialecticæ Methodi ſcilicet,* 1. Ariſtotelica. 2. Lulliana, 3. Ramiſtica, 4. Mixta, Keckermanni *nempe vel* Alſtedii, 5. *Cauſidica, Hottomanni,* 6. *Jeſuitarum,* & 7. Socinianorum, *quoad tractandi tantum modos, & non quoad Rem differant?* Aff.

TRACT.

TRACT. VI.

De Analyſi.

1. *Analyſis* inſtituitur in *Alieno opere* cujus ſenſum & ſuccum exprimere cupimus.

2. Eſtq; vel { 1. Τυχικὴ. 2. Τεχνικὴ.

3. Τυχικὴ ſive *fortuito arrepta*, *Hiſtoricè* tantum deſcribit quid in *Authore* quovis occurrit, quocunq; ſuggeruntur *ordine*.

4. Ubi notanda tantum obitèr {
1. *Authoris* proceſſus ſive *ordinatior* ſit, ſive *perturbatior*.
2. *Singularia* prout occurrunt.
3. Quid de *Authore*, *opere* ſtilovè, ſit ſentiendum; ut fecit *Photius* in *Bibliotheca*.

5.

5. Usui solet esse, in libris potius *evolvendis*, quam *perlegendis*, mutuo *acceptis*, quam *nostris*, & *alienis* à facultate nostra, quam *propriis*.

6. *Analysis* Τεχνικὴ ceu *artificialis* accuratioris est moliminis, ad *Authoris* aut *textus* reconditiora, partitiùs dissecanda.

7. In hac observentur

1. *Authoris* scopus seu *propositum*, ex *textu* ipso, vel aliis *circumstantiis* comprimis eliciendus.
2. *Thema* seu *subjectum* operis, quod *tractatur* vel *discutitur*, sive *simplex* sit, *declarando*; sive *compositum*, probando.
3. *Media*, quibus Author prout proposuerat, *subjectum* illustra præ manibus, & scopum destinatum assequitur, ubi methodus totius operis quoad *ingressum*, *progressum*, & *egressum*, 1. Est *despicienda*. 2. Libri in capita, seu sectiones in *Syllogismos*, *Syllogismi* in *Propositiones*, *Propositiones* in simplices *terminos* (ut tulerit usus) resolvantur. 3. Ubi commodè ob oculos ponantur istius distichi momenta,

1 2 3 4 5 6
Ars, Scopus, Impellens, Series, Collatio, Sermo,
7
Glossæ aliæ, Interpres, hæc *septem* expendito rectè

8.

8. Hoc artificio redigitur Authoris textus. vel in

1. Tabulas, *more Aſtedii & Ramiſtico.* — Specimẽ *Analyſeos*,
2. Dialogos quæ pluribus placuit *Platonicis* Methodus. — ſit Concionis illius *Salvatoris*
3. Locos *cõmunes*, quales in reſolvendo *Scripturas* & alios *Authores* exhibent *nervoſiores interpretes.* — *Catecheticæ.* Mat. c. 5. 6. & 7.

In qua

1. *Scopus* eſt inſtituere *diſcipulos* per certa *Media*, quomodo *Beatitudinem* cæleſtem conſequantur. ut *Doctrina moralis* apud *Ethnicos*, & *Theologia* apud *Chriſtianos* ſolet Informari.

2. Revocari poteſt tota concio ad hæc 7 Capita.

1. *Beatitudines.*
2. *Doctores.*
3. *Doctrinam.*
4. *Pſeudoprædicantes.*
5. *Impedimenta.*
6. *Adjumenta.*
7. *Firmamenta.*

3. *Beatitudines* præfiguntur 8 in *frontiſpicio*, ad quas enitendum eſt, ut perveniamus per certa *Media*. Media iſta ſunt

4. *Doctores* tales à nobis *elegendi*, & *ſequendi*, qui ſunt, 1. *Sal terræ* non *infatuatum*, 2. *Lux* mundi non ut *candela* ſub modio latens, ſed ut *Civitas* in *monte*, publicè oculis expoſita. 3. Nec *operibus* minùs quàm *doctrina* probandi.

5. *Doctrina*, talis eſt amplectenda, quæ 1. Chriſti urget *adventum*. 2. Non legis moralis *Abrogationem*, ſed ad *ultimum jota*, impletionem. idq; 3. *Severiori* modo quam præſtant *Scribæ* & *Phariſæi*, aliter ſpes non eſt Beatitudinem præpoſitam conſequendi. Siquidem

6. *Pſeudoprædicantes* externam tantum præceptorum obſervantiam, ſeu opus operatum, ex *Antiquitate* obtrudunt. Sed lex *internas inclinationes* interdicit. in 1. *Homicidio*, & 2. *Adulterio* declinando, & *ſynceros* affectus exigit, in 3. *Divortiis* urgendis. 4. *Perjurio* & juramentis *librandis*. 5. *Vindicta* perſequenda. 6. *Injuriis* ſubeundis. & 7. *Inimicis* condonandis.

7. *Impediunt* hos ad Beatitudinem *aſcenſus* 1. *Oſtentatio* in *Eleemoſynis*, *Orationibus*, *Jejuniis*, quæ cum in ſe ſint *bona*, noſtra κενοδοξία fiunt irrita. 2. *Diſtractio* inter Deum & *Mammona*. 3. *Diffidentia* de Dei *providentia*, qui cæli *volatilibus* & agri floribus proſpicit.

8. *Adjumenta* accedunt promoventia, 1. *Benevola* de aliis *cenſura*. 2. Erga ſacra *Reverentia*. 3. Ardens Dei *Invocatio*. 4. *Æquanimitas*, per quam alios ſic tractamus ut cupimus nos ab illis tractari. 5. *Æmulatio* ad *anguſtam* portam præ cæteris intrandam. 6. *Vigilantia* adverſus *Lupos hypocriticos*, qui 1. Simulant ovinam ſimplicitatem & humilitatem. 2. Nituntur *extemporariis Tautologiis*, *Domine*, *Domine*. 3. Jactant merita in hunc ſenſum; Alii *otioſi*, nos ad *ravim* uſq; fuimus laborioſi. 7. A quibus non magis

magis expectes *fructum* quam ex ſpinis uvas, aut *ficus* ex *tribulis*.

7. *Firmamenta* ſunt Salvatoris *verba*, quæ percepta *fideliter*, & exequutioni mandata, *fundamentum* ſuppeditant iſtius ædificii, quod nec *ventus labifactet* vel *procella*, donec ad *portam* exoptatam Beatitudinis perveniamus.

QVÆSTIONES.

An
1. *Analyſis utilius exerceatur à Tyronibus, quam aſſidua Altercandi praxis?* Aff.
2. *Optimè ex Analyſi Authoris ſenſus eruatur?* Aff.
3. *Scholaſticorum & Ramiſtarum Reſolvendi modus, minutiis aliquoties nimium inſiſtat?* Aff.

TRACT. VII.

De Geneſi.

1. GEneſis aliquid de proprio excudit. Sive ad aliorum *Imitationem* per *Analyſin* eruta, ſive ex *Marte* & *partu proprio*, pro ingenii, & judicii facultate excogitatum?

2. Exerceatur præcipuè à
   1. *Junioribus*, in 1. *Suppoſitionibus*. 2. *Oppoſitionibus*. 3. *Declamationibus*.
   2. Provectioribus, 1. In *Quæſtionibus polemicè diſcutiendis*. 2. *Syſtematibus Artium contexendis*. 3. *Maturioribus*, præſertim Theologis, in concionibus, *Diatribis*, Commentariis, pro cujuſq; *facultate* aut *conditione*.

3. *Suppoſitiones*, *Oppoſitiones*, & *Declamationes* (prout *vulgò* habentur) vix ferunt Artis præſcri-

pta

pta, ſed uniuſcujuſq; genio, & innatæ rationis dictamini ferè ſunt relinquenda.

4. Quæſtiones à *Provectioribus* plenius diſcutiuntur ſi obſervetur 1. ἀφόρμη ſive *origo* controverſiæ hiſtoricè delineata. 2. Terminorum ſimplicium *conſideratio*, & ambiguorum *diſtinctio*. 3. *Authorum* de toto negotio *diſſidium*. 4. *Conſenſus*, in quibus *conſentiunt* & quouſq; ut indè eliceatur 5. *Status* (ut loquuntur) quæſtionis, quid quæritur. 6. *Confirmatio veritatis* κατασκευαστικὴ, aſtructiva per argumenta ſelecta, quæ ab *Adverſantium* Inſtantiis, aut *exceptionibus* ſunt vindicanda. 7. *Objectionum* præcipuarum, in *medium* productio ἀνασκευαστικὴ, cum adjectis ordine ſolutionibus.

5. *Syſtemata* accuratiùs, & *moleſtiùs* compaginantur, per *dichotomias*, de quibus antea; ſed facilius (ni fallor) & utilius, per locos ſeu certa quædam *capita*, quemadmodum hic à nobis factum.

6. *Diatribæ* nullum ſubeunt certam *methodum* ſed variantur, prout res tulerit.

7. *Maturiores*, ſunt ſublimioris *ſubſellii*, quam ut ad Inferiorum directoria, *Claſſes* aut *carceres* retrahantur. Illorum igitur, 1. *Conciones*, 2. *Commentaria*, aut 3. *Devotiones*, ſublimiori Inſtitutioni ſunt *ſeponenda* & commendanda. Ut inde prodeat λογικὴ illa λαλιὰ, de qua *Doctor Gentium* ad Romanos 12. Ad quam Pater in Filio, per S.S. omnes ſuos perducat.

QVÆSTIONES.

An
1. *In Geneſi is unquam erit expeditus qui in Analyſi nunquam erat verſatus?* Neg.
2. *In ea ſit omittendum, aut Negligendum aliquod neceſſarium, ne Methodi filum abrumpatur?* Neg.
3. *A praxi potius aſſiduâ, quàm à præceptis dependeat?* Aff.

FINIS.

SCHEMATISMUS RHETORICES ad unguem tenendus.

CAP. I.

De Tropis.

RHetoricam ità esse *Dialecticæ* ἀντίστροφον, & quasi *parallelam* ostendit *Philosophus*, in *Rhetorices* frontispicio: Lib. 1. c. 1. ut non dubitaverit cum *Averroe*, *Zabarella*, eam illius esse *partem* statuere, saltèm *Agnatam*, & *particulam*. undè commodè hic apponendum, & interponendum, quasi Gustum aliquem illius duximus, præsertim cùm, ex *dictionibus* & *phrasibus translatitiis*, tot emergunt *Sophismata*, ut absq; *Troporum prompta* aliqua notitia, impossibile esset ea dex-

παραφυες μόριον. *De Nat. Log. l. 2. c. 10.*

trè expedire. Nè pigeat igitur properantem ad *Phyſica*, hæc obvia quaſi *Apophoreta*, quæ oneri non poſſunt eſſe, ſecum aſportare.

1. RHetorica eſt *Ars ornatè* dicendi. vel ut habet *Ariſt. Facultas* in *quaq; re videndi*, quid contingit eſſe *Idoneum* ad faciendam *fidem*. Rhet. l. 1. c. 2. Siquidem ut *Logica* dirigit *rationem*, ſic *Grammatica* & *Rhetorica* diſponunt *orationem*, hæc, ad *congruè*, illa ad *eleganter* loquendum.

2. Conferunt ad hunc *ornatum*
1. *Tropi.*
2. *Figuræ.*
3. *Schemata.*

3. *Tropus verba* tantùm vel *Phraſes* afficit, quæ à nativa *ſignificatione*, non tam *neceſſariò* quam *Suaviter* abducit.

4. Inter *hos* eminent, (ad quos commodè reduces *alios*)
1. *Hyperbole.*
2. *Catachreſis.*
3. *Emphaſis.*
4. *Metonymia.*
5. *Ironia.*
6. *Metaphora.*
7. *Synechdoche.*

5. *Hyperbole* auget vel minuit dicendo, quod ultrà citraq; medium, *Magnum*, vel *parvum* vult æſtimari. Ut ---- *Fugit ocior Euro.* hoc eſt incredibili *celeritate*. *Filii* hominum *in ſtateris vanitate leviores*. Pſ. 62. h. e. nullius ad auxiliandum

liandum momenti. vid: Eras. de copia. l. 1. c. 46.

6. *Catachreſis* in verbi abuſu quærit *elegantiam*. Ut

Jupiter Altitonans cana nive conſpuit Alpes.

ac ſi nix crederetur *Jovis ſputum*. Sic

---.--- ruit *tacitarum vellus aquarum.*

ſine ſtrepitu, ac ſi *Lana* tantum dum ningit decideret.

7. Emphaſis addit aliquid ſermonis *ſimplicitati*, vivaciori conamine exprimendum: undè *Epitheta* punctiora, *pigrum* frigus, mors *pallida*, & hujuſmodi, *Apollo Philippizat*; *Platonizat Philo*; ubi minus dicitur & plus intelligitur.

8. Sed Emphaſis hæc, una cum *Catachreſi*, & *Hyperbole*, ſtatuuntur à *Recentioribus*, *Troporum* potius *affectiones*, quàm *ſpecies*.

Species enim ſic locis *R*amiſticis adaptant ut *Tropus* genuinus ſit vel

1. *Conſentaneorum*, Metonymia.
2. *Diſſentaneorum*, Ironia.
3. *Comparationis*, Metaphora.
4. *Diſtributionis*, Synechdoche.

9. *Metonymia*, Conſentanea 1. *Cauſæ* & *Effectus*. 2. *Subjecti* & *Adjuncti*. 3. *Antecedentis* & *Conſequentis*, non rarò immutat. Sic *Ariſtotelem* habemus pro ipſius *operibus*. *Argentum* & *Æs*, pro *nummis*. *pedes tegere*, pro *alvum exonerare*. *ſepultus eſt*, pro mortuus: & ſimilia.

10.

10. *Ironia* exprobante aut irridente *enuntiatione* aut *gestu* *Oppositum* exprimit per *oppositum*. ut heus *Bone vir curasti probè*, pro *Nequam* omnia *conturbasti*. sic intelligendum illud, *Benè irritum facitis præceptum Dei, ut Traditionem vestram* Mar. 7. *servetis*. Huc spectat 1. *Paralepsis, præteritio*; Mitto *hoc* vel *illud*, cum hæc *commemorando* ingerit. Et 2. *Apophasis*, negatio: non agam tecum *summo jure*, cùm id reverà agit, quod non acturum profitetur. 3. Ubi *Asteismus*, *Sarcasmus*, & *Mycterismus*, plerunq; locum inveniunt.

11. *Metaphora*, in *Comparatis*, similia usurpat promiscuè, ut

Spem fronte serenat, Irarum fluctuat æstu.

hoc est *lætatur, Irascitur*. Frequens est in populari sermone, ubi non incidit de Tropo cogitatio.

12. *Synechdoche* in *Distributionibus*, Totum *essentiale* aut *integrale* pro *parte*, aut *generale* pro *speciali*, aut è contra assumit. Hinc *Hispanus* & *Gallus* inter se committuntur, id est *gentes* istæ invicem *Bellum* inferunt.

13. Sparsa occurrunt *undiq;* in quavis limatiori *oratione* hujusmodi *Troporum* sesama, quos *Aristoteles* sub nomine *Metaphorarum* comprehendit; In *Scripturis* verò *Allegorica* habetur omnis ferè *figurata* loquutio, cum *Allegoria* apud *Modernos* sit continuata tantùm *Troporum* concatenatio. ut *Paululum Fermenti totam Massam corrumpit*. &

Viam qui nescit qua deveniat ad mare,

Eum

Eum oportet amnem quærere comitem ſibi.

14. Cavendum autem hic præcipuè (ut prudenter monet S. *Auguſtinus*) *Ne figuratam loquutionem* ad *literam accipiamus*: nec *propriam loquutionem* ut *figuratam*. unde (inquit) Non *dubitavit Chriſtus Corpus dicere*, cum dedit *ſignum* corporis ſui. quod urgentes τὸ ῥητὸν in *cœnæ* verbis prorſus jugulat. Quot ex hoc fonte aliàs ebulliant *Sophiſmata*, Videas apud *Othonem Caſman*. in *Tropologia*, & *Alſtedium* in *Rhetoricis*, qui diligentiùs iſta expendunt & elucidant. *De Doct. Chriſt. l. 3. c. 5. 10. 11. & c. 16.*

CAP. II.

De Figuris.

1. *Figuræ* decorant *Sententias*, & lenocinantibus quibuſdam *alliciis*, comptas & gratioſas reddunt.

2. In hac emicant claſſe (quibus alias ſporadas accenſeas)
1. *Epizeuxis.*
2. *Anaphora.*
3. *Epiſtrophe.*
4. *Epanalepſis.*
5. *Epanôdos.*
6. *Paranomaſia.*
7. *Polyptôton.*

3. *Epizêuxis* eadem *verba ingeminat* aut *ſonos repetit.*

repetit. Ut

Me, Me adſum qui feci. Abiit, exceſſit, evaſit, erupit.

Huic ancillantur. 1. *Anadiploſis* diverſas *ſententias*, ejuſdem vocabuli *repetitione*, connectens; ut ſequitur pulcherrimus *Aſtur*; *Aſtur* Equo fidens. 2. *Climax*, ad modum *catenæ* aut *ſcalæ* continuans, & aſcendens, ut

Mars videt hanc, viſamq́, cupit, potiturq́, cupita.

4. *Anaphora* eadem repetit verba in ſententiarum *principio*: Ut

Te dulcis conjux te ſolo in littore ſecum,
Te (veniente die) te (decedente) canebat.

5. *Epiſtrophe* Idem in *fine* præſtat, ut *Cæſar* hoſtes Armis *vicit*, Celeritate *vicit*, Liberalitate *vicit*. Ex hujus autem & *Anaphoræ complexu*, prodit *Symploce*. ut *Quis turbas* primò inter nos excitavit? *Schiſmaticus*; *quis* Leges divinas & humanas ſacerrimè violavit? *Schiſmaticus*; quis tandem ignoſci poſtulat? Idem *Schiſmaticus*.

6. *Epanalepſis* eodem dicto *inchoat* & *claudit* ſententiam: Ut

Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia *creſcit*.

7. *Epanodos* progreditur & regreditur diverſimodè *aſſumendo* quod antea *depoſuerat*. Ut

Demophoon ventis & *verba* & *vela* dediſti;
Vela quæror reditu *verba* carere fide.

8. *Paronomaſia* ludit in nominis *Etymo*: Ut

Dicatur *Dominus dat* quia forte *minùs*.

9. *Polyptoton* per varios *caſus* Idem pæne ingerit. Ut

Homines

Homines te propter pecuniam judicio liberarunt. *Hominibus* tui perjurii injuria conſcientia non fuit. *Hominum* applauſus & ſuffragia poſſis commemorare. de hiſce *prudenter* adhibitis obtineat illud *Pſephiſma.*

Quam lepidæ lexeis! compoſtæ ut teſſerulæ omnes Lucil.
Arte, Pavimento atq; Emblemate vermiculato.

CAP. III.

De Schematibus.

1. ORationem afficiunt, & *animant Schemata.*

2. Hujus *Synodi* ſunt illuſtriora
1. *Ecphoneſis.*
2. *Epanorthôſis.*
3. *Apoſtrophe.*
4. *Proſopopæia.*
5. *Aporia.*
6. *Anacoinoſis.*
7. *Synchoreſis.*

3. *Ecphoneſis*, exclamatio variis *formis* ſe exprimit. Ut, O *tempora!* O *mores!* cui cognata ſunt *Epiphonema.* ſolennis *clauſula:* Ut

Tantæ

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Et 2. *Parrhesia*, libera *protestatio*. *Grave dictu* sed *dicendum* tamen, *vos* (inquam) *Servium Sulpitium* vita *privastis*, vos Patriam, & Ecclesiam, in *chaos* plusquam *Babylonicum* redigistis.

4. *Epanorthosis corrigit* quod antea *dixerat*, & *reticet* quod erat dicendum: exemplum *prioris*; sed nimis *urgeo*, *commoveri videtur adolescens*. 2. *Posterioris*; *quos ego*. sed motus præstat componere fluctus. quæ aliàs *Aposiopesis* dicitur.

5. *Apostrophe* in medio orationis *curriculo*, ad aliud convertit *sermonem*, & *animatum* quodvis, vel *inanimatum* ut præsens compellat: sic in narratione de *Mari* & *Jordane* diviso ad Israelis *Exodum*, Quid tibi Mare quod fugisti, & tu *Jordan* quod retrocesseris?

6. *Prosopopœia* personam effingit ex *re* fere qualibet, qua quod vult *orator*, loquatur: sic *Appio Cæco* à *Cicerone* pro *Cælio*, & *Terræ* à *Phaetonte* ambustæ, adaptatur apud *Ovidium* oratio.

7. *Aporia*, Addubitatio, fluctuat *his* aut *similibus* indiciis, Quid *agam*? quò me *vertam nescio*.

8. *Anacoinosis*, cum *aliis communicat*, quod maximè *scrupulos* injiciat, sic tamen ut quod maximè urit *eximit*: ut dices me *Insanire*. Ego *veritatis* & *sobrietatis*, verba profero. At *Xantippe* est *rixosa*, at *sedula* interim est *Mater familias*.

9. *Synchoresis* concedit *Adversanti* quæ videantur esse alicujus *momenti*, sed prævidit, non

non *premere*, quia facilè *dissipentur* vel declinantur. Ut sint *prudentes docti laboriosi* subditi, num licet igitur arma contra *dissentientem Magistratum sumere?* Hisce apponatur conclusio.

Pulchrior hac illa est, *hæc est quoq́, pulchrior illa:*
Et magis hæc nobis & magis illa placet.

FINIS.



HYPOMNEMATA Physica consimili Methodo per Heptades dispositа, quæ plus præstant in textu quam pollicentur in Titulo.

TRACT. I.

De Corporis Naturalis Principiis.

1. PHYSICA est *Doctrina*, quæ 1. *Principia*. 2. *Affectiones*. & 3. *Species* Corporis naturalis explicat. 1. De Cœlo. c. 1. Itaquè

2. Ejus *subjectum* adæquatum, non est *Ens*, vel *Substantia*, sed *Corpus*; non quà *mobile* tantùm, sed *naturale*.

3. Illud verò examen subit vel,
1. *Partitè*, in singulis suis *speciebus* & *Membris*, & dicatur *Somatologia*.
2. *Conjunctim*, quatenùs *Systematicè* totius *Mundi* visibilis exhibet *compagem* & *pulchritudinem*, quæ *Cosmologia* nominetur.

Undè

4. *Primò* de Principiis, *Secundò* de Affectionibus, *Tertiò* de *Speciebus Corporis* naturalis est dicendum.

5. *Principia Physica* sunt quæ non *fiunt* ab *aliis*, nec à *se mutuò*, sed ab his omnia. 1. Phys. c. 5.

6. *Talia* autem sparsim apud *Aristotelem* occurrunt 7.
1. *Deus*.
2. *Natura*.
3. *Materia*.
4. *Privatio*.
5. *Forma*.
6. *Fortuna*.
7. *Casus*.

7. *Deus*, est primum *movens Immobile*, qui ex *nihilo* creavit *omnia*, & singulis *peculiarem naturam* indidit. Itaq;

8. Solus potest *super*, *præter*, & *contra naturam* miraculosè operari.

9. *Natura*, est *Principium motus* & *quietis* in quo inest *primo* & per *se*, & non secundum *accidens*. *Arist. 2. Phys. cap. 1. text. 3.*

10.

10. Nil agit *fruſtra*, ſed propter *finem*; ideoq; non intendit *monſtrum*, ſed nonnunquam producit.

11. *Materia*, eſt *principium paſſivum*, ex *qua* res fit, & in *quam* ultimò reſolvitur. Itaq;

12. Eſt *ingenerabile* & *incorruptibile*, cujuſvis *Metamorphoſeos* ſubjectum, & dicitur *formam* appetere, ut *fœmina virum*, & *turpe pulcrum*.

13. *Privatio* eſt *Principium* non *conſtitutionis*, ſed *tranſmutationis*: non *componens*, ſed *abſentiam* formæ, & prævias in *materia diſpoſitiones* ad eam recipiendam *deſignans*. (perpende an non rectiùs dicatur *præparatio*, quàm *privatio*) Ergo

14. A tali *privatione* ad *formam* habendam fit *progreſſus*, quâ ſemel introductâ *privatio* tollitur.

15. *Forma*, eſt *principium activum* per *quam* res eſt, & *diſtinguitur* ab aliis, & *denominatur*, & *operatur*.

16. Educitur è *Potentia materiæ*, & *ſeparata* interit, niſi in *rationalibus*, ubi *anima*, hominis *forma*, eſt *immortalis*.

17. *Fortunam* inter *Principia* collocavit cauſarum *ignorantia*, ut producat eventum, præter *intentionem*, & *ſcopum* agentis *rationalis*: juxta illud,

Nullum Numen abeſt ſi ſit prudentia, ſed te,
Nos facimus Fortuna deam cœloq; locamus.

18. *Caſus* talis *principii* locum obtinet, quandò aliquid contingit ab agente *ſine ratione*: ut piſces exilientes è *ſartagine*, *caſu* inciderunt in

candentes prunas.

19. Itaq; ut *Fortuna* in *voluntariis*, sic *Casus* observatur in voluntate *destitutis*.

20. De utrisq; autem habetur illud,

Scilicet in superos etiam Fortuna luenda est,
Nec veniam læso numine *casus* habet.

QUÆSTIONES.

An
1. *Sint tria tantùm rerum Naturalium principia, Materia, Forma & Privatio?* Neg.
2. *Materia prima sit summum genus in substantiæ Prædicamento?* Neg.
3. *Sit Increata, Actum habens entitativum?* Neg.
4. *Detur Forma prima æquè ac Materia?* N.
5. *Forma educatur ex potentia materiæ?* Aff.
6. *Natura intendat Monstrum?* Neg.
7. *Casus & fortuna principiis Physicis rectè accenseantur?* Aff.

TRACT. II.

De Corporis Naturalis Affectionibus.

1. PRINCIPIA comitantur *Affectiones*, quæ *Corpori Naturali* in *genere* competunt, & de ſingulis ipſius *ſpeciebus*, & *Individuis* neceſſariò prędicantur.

2 Suntq; vel
1. *Compoſitio.*
2. *Finitudo.*
3. *Activitas.*
4. *Paſſibilitas.*
5. *Motus.*
6. *Locus.*
7. *Tempus.*

Siquidem omne Corpus *Naturale* eſt *Compoſitum*, *Finitum*, *Activum*, *Paſſivum*, *Mobile*, *Loco* aliquo & *tempore* limitatum: & (quantum ſenſu conſequi licet;) è contra, Quod his caret, non eſt *Corpus Naturale*.

3. *Compositio* est *affectio*, qua quodvis corpus naturale, ex *Materia* & *Forma*, constat compositum. Itaq;

4. Non *existit Materia*, sine *forma*, nec *forma* aliqua (præter *animam rationalem*) sine *Materia*.

5. *Finitudo, limites* unicuiq; corpori ponit, & supponit, sic ut *maximum*, & *minimum* in iis designetur. *Itaq;*

6. Non datur aliquod *corpus* actu *infinitum*, nec aliqua *species* corporis, nisi sub *limitata* quantitate.

7. *Activitas* profluit à *forma*, & exerit *virtutem* singulis *inditam* corporibus, quæ alicui *usui* in rerum natura inserviunt.

8. *Passibilitas* ineſt corporibus, ratione *materiæ*, quâ *impressionis* cujuslibet naturalis sint capacia.

9. Hæc, *potentia obedientialis* in *extraordinariis* mutationibus dicitur, qua *creatura* ad voluntatem *Creatoris*, se omnimodò submittit.

10. *Motus*, est *actus* Entis in *potentia*, prout est in *potentia*, a termino à *quo*, ad terminum *ad quem*, progredientis; cui privativè opponitur *quies*.

11. Hæc *Progressio*, si sit *instantanea* dicitur Μεταβολὴ, sive *mutatio*; sin *successiva* sit, & continua, Κίνησις habetur, seu *motus* propriè dictus.

12. *Subjectivè* autem est in *mobili*, non in *movente*, licet *quicquid movetur moveatur* ab alio.

13.

13. Est autem vel { 1. *Naturalis.* 2. *Violentus.*

14. Naturalis est vel { 1. *Creatio.* 2. *Generatio.* 3. *Corruptio.* 4. *Augmentatio.* 5. *Diminutio.* 6. *Alteratio.* 7. *Loci mutatio.*

15. *Creatio*, est productio alicujus rei, vel à *nihilo* simpliciter; vel à re, non *præparata* ad talem productionem.

16. Talis fuit { 1. Κτίσις primæ materiæ. 2. Ποίησις aliarum rerum in *Hexamero.* 3. Πλάσις *Adami* ex *terra*, & *Evæ*, ex costa *Adami.*

17. *Generatio*, procedit à materia *præparata*, ad *formam substantialem* introducendam. *Corruptio* contra. Ergo

18. *Generatio* unius est *corruptio alterius*, & è contra.

19. *Augmentatio*, à minori quantitate ad *ampliorem* ascendit. Diminutio è contra, descendit.

20. Ubi quælibet *pars aucti* augetur, & *diminuti diminuitur.*

21. *Alteratio* obſervatur tantum in *qualitatibus*, ubi *contraria*, naturali *antipathia*, ſe invicem *expellunt*.

22. Loci mutatio fit, vel per *motum circularem* corporum *in* ſuo loco; vel per *rectum*, *ad* ſuum *locum*; vel per *obliquum*, aliquoties utroq; modo.

23. *Motus violentus* eſt, vel ab *agente* voluntario, vel aliter *extrinſecùs* impellente.

24. Eſtq; vel
1. *Tractio*, ut *plaustri* per jumenta.
2. *Pulſio*, ut *ſagittæ* per nervum.
3. *Vectio*, ut *navigantium* in nave.
4. *Volutatio*, ut *rotundi* per *impellentem*, aut *circumducentem*.

25. *Locus*, eſt *adæquatum* cujuſlibet corporis *receptaculum*, extrinſecùs *terminatum* à *ſuperficie* concava corporis ambientis, ſic ut *vacuum* per *præciſam* corporum inter ſe *commiſſuram* omninò excludit. Itaq;

26. *Locus* eſt 1. *æqualis locato*. 2. Nec duo *corpora* poſſunt eſſe in eodem loco *proprio*. 3. Nec *Idem* poſſit eſſe in *diverſis locis* ſimul.

27. Tempus eſt *menſura* durationis rei in ſua *exiſtentia*, ſecundum *prius* & *poſterius*, *præteritum*, & *futurum*, quæ connectit inſtans.

28.

28. Eſtq; vel durationis rei
1. *Principio* & *fine* carentis: ſic ſolius Dei eſt *æternitas*.
2. Fine *carentis* & non *principio*: ita cœli, & *angelorum*, & animarum *rationalium*, eſt *æviternitas*.
3. Tàm *finem* habentis quàm *principium*: ita *tempus edax* rerum dicitur, quarum *motus* & *ſtatus* numerat.

QUÆSTIONES.

An
1. *Detur aliquod corpus Actu Infinitum?* N.
2. *Determinatum ſit omnibus corporum ſpeciebus Maximum & Minimum?* Aff.
3. *Creatio, & obedientialis potentia ſint conſiderationis Phyſicæ?* Aff.
4. *Quælibet pars Aucti augeatur, & diminuti, diminuitur?* Aff.
5. *Sympathiæ & Antipathiæ reddi poſſit ratio?* Neg.
6. *Omne Corpus ita locum ſuum proprium impleat, ut nullum admittatur vacuum?* Aff.
7. *Tempus ſit Ens tantùm Imaginarium.* N.

TRACT,

TRACT. III.

De Corporis Naturalis Speciebus.

CAP. I.

De OVRONOLOGIA, *sive de Cælo.*

1. DICTUM, de corporis Naturalis *principiis* & *affectionibus* sequuntur *species.*

2. Istæ autem sunt
1. *Cœlum.*
2. *Elementum.*
3. *Meteoron.*
4. *Minerale.*
5. *Vegetativum.*
6. *Sensitivum.*
7. *Rationale.*

3. *Cœlum* est corpus *defæcatissimum quintæ* cujusdam incorruptibilis *essentiæ*; quod *motu, lumine,* & *influentia* perpetuò in *inferiora* operatur.

4.

4. Estq; vel { 1. *Supremum.* 2. *Medianum.* 3. *Infimum.*

5. Supremum, quod & *Empyreum*, & *Cælum Cælorum* appellatur, est *sedes* Dei & *beatorum*, ubi nec est *locus*, *tempus*, vel *vacuum*, sed æterna *fælicitas* & fæliciſſima *æternitas*. Ariſt. 1. de Cælo, C. 9.

6. *Medianum* seu *æthereum*, *ſtellis* variè diſpoſitis est *conſpicuum*, quæ ab *orbibus* quibus *concipiuntur* infigi, diverſimodè circumrotantur.

7. *Stellæ* iſtæ, vulgo putantur esse *denſiores* partes ſuorum orbium.

8. Suntq; vel { 1. *Fixæ.* 2. *Erraticæ.*

9. *Fixæ*, in *ſuperiori* cæli *faſtigio* ſcintillantes, velut acies inſtructiſſima, in irrequieto ſuo circuitu, æquabilem semper servant *diſtantiam*.

10. *Erraticæ* seu *Planetæ*, diverſis circumferuntur *orbibus*, & *motibus*; undè fit, ut varias inter se sortiantur *habitudines*, & *diſtantias*.

11. Hujuſmodi autem *planetæ* ſunt septē { 1. *Saturnus* pallidior, & Melancholicus. *Galileus Galilei* 2. *Jupiter* vivacior, & coruſcantior, cum quibuſdam à *Recentioribus* obſervatis circa eum *ſtellulis*. *Keplerus.*

3.

3. *Mars*, ardentior, & rutilantior.
4. *Sol*, cæteris omnibus *flagrantior*; à quo cæteræ omnes Stellæ sivè *fixæ*, sive *erraticæ*, lucem mutuari perhibentur.
5. *Venus*, lucidior, & amabilior, nunc Hesperi, nunc Vesperi *clamydem* induit.
6. *Mercurius*, magis versatilis, & incertior.
7. *Luna*, maculis deformata, quas alii *fæces* terrestres, alii *umbras* à terra projectas, nonnulli terras *habitatas*, alii ipsius *partes rariores* transmittentes radios solares, esse hariolantur.

12. Itaq; ex *septem* istis Planetarum *motibus*, *septem* distinctos *orbes* artifices elicuerunt, & quoniam tres observarunt distinctos stellarum fixarum *motus*, tres alios *orbes* illis assignarunt; Octavuum, in quibus figuntur omnes Asterismi; *Chrystallinum*, & *primum mobile*, à quibus *diversimodè* circumaguntur, sic ut *Systema* cæli *mediani* (secundum *Physicos*) *decem* orbibus *mobilibus* absolvatur: reliqua petenda sunt ab *Astronomis*, inter se de hac re *dissentientibus*.

13. *Cælum* infimum, sive *Aëreum*, inter orbem *lunarem*, & *globum terrestrem*, tanquam *tentorium* expanditur: undè *Hebræis* est רקיע alias Cœlum *Aëreum*, *Meteororum* & *Volucrum* receptaculum

ptaculum de quibus in ſequentibus.

QUÆSTIONES.

An
1. *Cælum rectè ſtatuatur Quinta quædam eſſentia?* Aff.
2. *Sit corpus ſolidum, variis orbibus ab Intelligentiis motis, diſtinctum?* Aff.
3. *Ultima Sphæra ſit in loco?* Aff.
4. *Novæ ſtellæ nonnunqam appareant & diſpareant?* Aff.
5. *Stellæ omnes à ſole lucem mutuantur?* Aff.
6. *Luna ſit habitabilis?* Neg.
7. *Maculæ, in ea conſpectæ ſint partes ipſius variores?* Aff.

CAP. II.

De Stoichologia, ſive de Elementis.

1. ELEMENTA ſunt *corpora* ſimplicia, & *corruptibilia*, *Qualitatibus* contrariis affecta, ex quarum lucta perpetua, & mutua *actione*, & *paſſione*, corpora *mixta* conficiuntur.

2. Qualitatum iſtarum *ſeptem* ſtatuantur *claſſes*
1. *Activarum, Caloris, heterogenea diſſolventis*, quæ condenſat *frigiditas*.
2. *Paſſivarum, humiditatis*, ea quæ conſtringit *ſiccitas*, irrigantis.
3. *Colorum.*
4. *Sonorum.*
5. *Odorum.*
6. *Saporum.*
7. *Tactilium* quæ appellãtur ſecundæ *qualitates.*

3. Tactilium verò *ſeptem* ulteriùs obſerventur *paria*
1. *Soliditas & Liquiditas.*
2. *Raritas & Denſitas.*
3. *Duities & Mollities.*
4. *Aſperitas & Lævitas.*
5. *Acuties & Hebitudo.*
6. *Lentor & Friabilitas.*
7. *Gravitas & Levitas.*

4. *Elementa* ſunt ſeptem
1. *Ignis.*
2. *Aer.*
3. *Aqua.*
4. *Terra.*
5. *Sal.*
6. *Sulphur.*
7. *Mercurius.*

5. *Ignis*, eſt elementum *Leviſſimum* & *Calidiſſimum*, quod *concavam* ſuperficiem *Lunæ* locum proprium

proprium habere, *existimatur*; invisibiliter: sed in *flamma*, & *carbone* apud nos maxime flagrat, & *lucem* spargit.

6. *Aer*, est Elementum *humidissimum* & *calidum*, quod in tres distinguitur *Regiones*. 1. *Summam*, quæ calet per motum *velociorem*, & *ignis* vicinitatem. 2. *Mediam*, quæ *friget*, præcipuè ob *Antiperistasin*. 3. *Infimam*, quæ *variatur* ad tempestatum vicissitudines.

7. *Aqua*, est Elementum *frigidissimum*, & *humidum*, & in *mari* præcipuè est conspicuum. cujus sunt *salsitudo* innata, & *reciprocatio* ad Lunæ (ut videtur) motum, &, à quo *fontes* & *flumina* ducunt originem.

8. Terra est *Elementum* ficcissimum & crassissimum; influentiarum superiorum *receptaculum*, animantium *domicilium*, mineralium & vegetabilium *matrix*, adeoq; cum aqua *unum globum* constituit, quod totius universi *centrum* ponitur.

9. *Sal*, est Elementum *Terrestre* quod *mistum* immediatè terminat, & *soliditatem*, & *saporem* illi præcipuè confert.

10. *Sulphur*, Elementum est *igneum*, caloris naturalis *pabulum*, odorum *mater*, *salem* conglutiens cum *Mercurio*.

11. *Mercurius*, autem est *principium* aquosum, *balsami* conservatricis *proximum instrumentum*, ex cujus cum sulphure temperamento, *colores* emergunt: de quibus est illud

Sal petit ima, *Oleum* medio nat, *Spiritus* alto.

12

12. Ex Elementis, 1. Per *contactum*, 2. Per *reactionem*, 3. Per partium minimarum *unionem*, 4. Per *concoctionem*, attemperatur *mixtum*, non ad *pondus* æquale, sed ad *proportionem*; in quo *pereuntibus* Elementorum *formis* particularibus, vel saltem *fractis* & *retusis*, emergit *forma totalis*, quæ confert *mixto* existentiam, & *motum*, secundum prædominans *Elementum*.

13. Nam utcunq; *Elementa* concipiantur *secreta* à seinvicem, separatim tamen, in rerum *natura* non existunt: & in *mixto* unum præ cæteris eminet.

14. *Mixtum* dissolvunt & destruunt
1. *Putredo*, calorem externum *evocans*; aut *frigus*, extinguens *calidum* innatum.
2. *Caries*, per externam *siccitatem*, humidum internum absumens.
3. *Mucor*, per externam humiditatem, *siccitatem* vitians.
4. *Rubigo*, quæ metalla obducit, & exedit.
5. *Mors*, quæ animam, vel vigorem, à re subtrata, separat.

15. In quibus omnibus
1. *Generatio* unius est *corruptio* alterius: & è contra.
2. *Dissolutio* fit in *materiam primam* in omni transmutatione totali physica.
3. Idem *accidens* numero, non manet in *genito* & *corrupto*.

QUÆST.

QVÆSTIONES.

An
1. *Septem ſtatuantur mixtorum Elementa?* A.
2. *Formæ Elementorum in mixto maneant?* Neg.
3. *Detur Ignis in concava Lunæ ſuperficie?* Aff.
4. *Media Aetis Regio ſit frigidiſſima?* Aff.
5. *Mare ſit natura ſalſum, & ad Lunæ ductum fluens & refluens?* Aff.
6. *Terra moveatur, & naturæ ſit Magneticæ?* Neg.
7. *Fontes & flumina generantur in terræ viſceribus?* Aff.

CAP. III.

De Meteoris sive Meteorologia.

SECT. I.

De Meteoris ὑφισταμένοις.

1. TERTIA corporis naturalis *species* est *Meteoron*, quod est *corpus* imperfectè *mixtum* ex *fumo* seu *exhalatione*, & *vapore* conflatum, in *sublimioribus* aëris *regionibus* conspicuum, aut in inferiori sensibile.

2. Estq; vel
   1. ὑφισάμενον, sive *reale existens.*
   2. φαινόμενον, sive *phantasticum*, saltèm *apparens.*

3. *Realium* Meteororum septem enumerentur *paria.*
   1. *Cometa* & *Stella cadens.*
   2. *Ignes Fixi* & *discurrentes.*
   3. *Fulmen* & *Tonitru.*
   4. *Nubes* & *Pluviæ.*
   5. *Nix* & *Grando.*
   6. *Ros* & *Glacies.*
   7. *Ventus* & *Terræ motus.*

4.

4. *Cometa*, est *Meteoron* ex halitu *sicco*, *viscoso*, & *copioso*, compactum; quod in *supremo* aëris *tractu*, in *morem* stellæ *prodigiosè* rutilat, & ratione *formæ variantis*, *crinitus*, *barbatus* aut *caudatus* nuncupatur.

5. Plurimi ex iis, aut ultra Lunam ascendunt, aut ibidem modo ignoto generantur, aut infra subsidunt; omnes vero habentur *portentosi*, undè illud, οὐδεὶς κωμήτης ὅστις οὐ κάκον φέρει.

Nunquam futilibus excanduit ignibus æther. *Manil.*
In cælo nunquam spectas impunè Cometam. *Claud.*

6. *Stella cadens*, *volans* vel *trajecta*; habetur *exhalatio* mediocriter compacta, & *globosa*, quæ supernè *incensa*, materiæ *gravitate* pessùm fertur, & *stellæ* verè *cadentis* representans Imaginem subitò extinguitur. Frequentiores tales stellarum *trajectiones*, siccitatem & ventos prænuntiant. *Ptolom.* in *Centiloquio*, c. 29.

7. Ignium *fixorum*, aut *discurrentium* septem observentur *Mormolucea*.

1. *Capræ saltantes.*
2. *Scintillæ volantes.*
3. *Ignes Perpendiculares.*
4. *Bolis*, seu *lancea*, quæ remoto *cuspide*, trabem referre censeatur.
5. *Fax*, seu *Candela accensa.*
6. *Draco volans.*
7. *Ignis fatuus*, sivè *Erraticus*, qui aut circa *Cæmiteria*, *patibula*, & *paludes* ex viscosis halitibus incensus, viatores crebrò *præcipitat*;

tat; aut *antennis* navium inſedens proſpera ſub nomine *Caſtoris* & *Pollucis*; Aſpera ſub nomine *Helenæ*, nautis præfagit; aut *veſtibus humanis* adhærens, vel equorum *jubis*, itinerantibus noctu, horrorem incutit.

8. *Fulmen*, eſt *exhalatio* calida, ſicca, & viſcoſa, nube denſiori circumvoluta, in qua per *Antiperiſtaſin* inflammata, horrendo quodam *fragore*, & *fulgore*, quaſi è carcere erumpit, & deorſum *evibratur*.

9. Iſte *fragor*, *Tonitru* dicitur, qui ex ruptura *nubis*, & *miſtura* ignis, & aquæ, excitatur; haud ſecus ac in *diſploſa veſica*, aut extinctione *ferri candentis* in aqua, uſu venit.

13. Illud vero *Fulmen* aliquando ſic *terebrat*, ut *oſſa comminuat* in corpore illæsâ cute, nõnunquam *obſtantia* quævis *diſcutit* & cõterit; *ſulphureum* quendam *lapidem* in tumultuante nubis utero, violenter per Antiperiſtaſin coagulatum, periculosè *evomens*; multoties vero, cum ex ſpiſſiori flagrat *materia*, levius *ſufflaminat*, & carptim quaſi amburit, præcipuè *virentia*, quibus *croceum* & *fuliginoſum* colorem inducit, ut maturitatem nativam anticipent.

11. *Nubes*, ſeu diminutivè nubecula, eſt *vapor* humidus, & craſſus, à ſole ad mediam aëris regionem elevatus, ubi frigore loci conſtipatus, quaſi *fornix* pendet, donec ſive *motu* concuſſus

ſus, ſive *calore* diſſolutus, vel in *guttas* liqueſcit, vel in *fumos* evaneſcit.

12. Iſta *diſſolutio* à ſolis calore proveniens, pluviarum effundit *hydrias*, quæ ſuo pondere in terram dilabentes, vel *imbre* ſedatiori, vel *nimbo* vehementiori, hæc inferiora humectant.

13. Nonnunquam *lac*, *ſanguis*, *ranæ*, *piſces*, *lapides*, *&c.* arreptitia, cum *vaporibus* hujuſmodi aſcendentibus, in altum corripiuntur, undè poſtea ad *ſtuporem* ſpectantium, & *terrorem*, guttis intermixta, decidunt.

14. *Nix*, eſt *Nubes* friabili denſitate *conglaciata*, & antequam concreſcat in aquam, à frigore anticipata, & conſtipata, tanquam floccis, & lanâ carminatâ, terram dealbat, undè illud Poëtæ

------ *Ruit tacitarum vellus aquarum.*

15. *Grando* eodem modo, in deſcenſu *obrigeſcit*, ſed prius in *guttas* reſoluta, & rotundata, innumeris terram quaſi *ſeſami* ſpargit *globulis*.

16. *Ros*, à vapore ſubtili & humido, non procul à terra, *nocturni frigoris* beneficio concretus, facilius ad humectandam terram dimittitur, qui nonnunquam *manna*, *melle*, & *ladano*, pro ratione vaporis elevati, condiatur; & in deſcenſu nonnunquam à frigore congelatus, pruinæ *canitiem* induit.

17. *Glacies*, eſt aqua craſſior, & torpentior, in *ſtagnis*, *foſſis*, & *fluminibus* congelata, cujus inſulæ occurrunt ſub tractibus *polaribus*, ob *frigoris graſſantem* Tyrannidem.

18. *Ventus*, eſt *exhalatio* calida & ſicca, è *ſpeluncis* terræ, vi ſolis & ſyderum excitata; quæ aſcendens ad mediæ aëris regionis *confinia*, frigore ejuſdem ſic deprimitur, ut in obliquum, nunc huc, nunc illuc, aërem fluctuantem impellit, & diſſipat.

19. Ejus ſeptem obſervantur claſſes
1. *Cardinales.*
2. *Eteſiæ.*
3. *Chelidoniæ.*
4. *Exhydriæ.*
5. *Ecnephiai.*
6. *Turbines.*
7. *Preſteres.*

20. Cardinales ſunt
1. *Zephyrus*, cui *Corus* & *Lybs.*
2. *Aquilo*, cui *Boreas* & *Circius.*
3. *Subſolanus*, cui *Cæcias*, *vulturnus* ſeu *Eurus.*
4. *Auſter*, cui *Euro-Notus* & *Lybo-Notus* tanquam aſſeclæ inſerviunt.

21. *Eteſiæ*, ſunt venti *Aquilonares*, qui circa *Caniculæ* ortum, per 40 dies continuos, ejuſdem *ardori* ſuffundunt quaſi *frigidum.*

22. *Chelidoniæ*, ſeu *ornithiæ*, circa *hirundinum* adventum, per 30 circiter dies (ut vult *Columella*) à *Septentrione* aërem eventilant, & expurgant.

23. *Exhydriæ*, ex *lacerata* violenter nube confertim erumpunt, & molibus aquarum ſuperfuſis,

perfusis, subjecta quæq; obruunt.

24. *Ecnephiæ*, è nube subito *præcipitatæ*, confertis flatibus obscurant aërem, & ingruentis tempestatis *tristes* semper sunt πρόδρομοι.

25. *Turbo*, ex *disrupta* nube evibratus, obvia quæq; *corripit*, & in morem *rotæ* circumgyrat, dum in altum abripit.

26. *Prester*, Turbinis violentiæ *flammas* suggerit, quibus *abrepta* non tantum contorquet, sed *sufflamminat* & *amburit*.

27. *Terræ motus*, est ipsius *concussio* & *agitatio*, ex conflictu, & impulsu *flatuum* in ejus cavernis inclusorum, qui per *pessulatos* & obstructos *meatus*, cum *fremitu* & *furore* moliuntur exitum.

28. Ejus septem species, ab authore de mundo (qui vulgo habetur *Aristoteles*) designantur.

1. Ἐπικλίντης, qui in *obliquum*.
2. Βράστης, in *tumorem*.
3. Χασματίας, in *hiatus*.
4. Ῥήκτης, in *rimas*.
5. Ὤστης, in *ruinas*.
6. Παλμάτιας, in *tremorem*.
7. Μυκητίας, in *mugitum*, rerram impellit & concutit.

QUÆSTIONES.

An
1. *Vapores & fumi omnium fere Meteororum parentes habeantur?* Aff.
2. *Cometa ſit de Natura cæleſti.* Neg.
4. *Ignis fatuus aliquoties Diabolicas Illuſiones admiſtas habeat?* Aff.
4. *Fulmen & Tonitru aliquid ſupra captum humanum repræſentant?* Aff.
5. *Ventus ſit nihil aliud quam Aër, exhalationibus agitatus, & impulſus?* Aff.
6. *Manna & Ladanum, ſint roris, aut pruinæ ſpecies?* Aff.
7. *Phyſicè dari poſſit univerſalis terræ motus?* Neg.

SECT. II.

De Meteoris Phantaſticis.

1. TANTUM de *Meteoris Hypoſtaticis*: paucioribus *Phantaſtica* expediantur; quæ *colores* potius *intentionales*, quam *res ſubſtratas* intuentibus repreſentant.

2. Talia vulgo deſignantur ſeptem
1. *Galaxia.*
2. *Chaſma.*
3. *Halo.*
4. *Parelius.*
5. *Paraſelene.*
6. *Virgæ.*
7. *Iris.*

3.

3. *Galaxia*, eſt lucidus quidam *candor*, ex *mixtis* exiguarum ſtellarum *radiis*, ſub *Gemino* & *Sagittario*, conſtanter quavis ſudâ nocte conſpicuus.

4. *Chaſma*, eſt *Meteoron*, ſpeciem cæli *dehiſcentis* exhibens, & ex raritate materiæ, viſum *tranſmittentis*, proveniens.

5. *Halo*, eſt circulus *Solem* vel *Lunam*, aut alias *ſtellas majores*, ambiens, ex radiorum in nubibus *refractione*, rotundatus.

6. *Parelius*, eſt *ſolis* Imago, ad nubem *denſam* & *roridam*, tanquam è ſpeculo plano repercuſſa, ſic ut indè *duo*, vel *plures ſoles* ſimul *orientes* vel *occidentes* appareant.

7. *Paraſelene*, eſt repreſentatio *duarum*, vel plurium *Lunarum*, eodem modo, præſertim in *plenilunio*, & *debita* nubum oppoſitarum *diſpoſitione*.

8. *Virgæ*, *Columellæ* ſeu *funes* tentorii, ſunt radii *Solis* per nubium quaſi *feneſtras*, aut *rimulas*, matutino vel veſpertino tempore, præcipuè protenſi: ex quibus etiam, & nonnunquam è *Lunaribus*, nubes vicinæ, vel *oppoſitæ*, rubrum, viridem, aut candidum colorem diverſimodè induunt.

9. *Iris*, eſt arcus *multicolor*, in nube *rorida*, opaca, & *concava*, ex radiorum ſolis oppoſiti *reflexione*, ſine neryo incurvatus.

10. *Lunæ varior* eſt, ſed *ſolis* frequentior, qui nonnunquam per *repercuſſiones* varias, triplex conſpicitur, colore *triplici*, puniceo, viridi, & cerule-

fulgeo, mundo pluviam denuntians.

QUÆSTIONES.

An
1. *Phasmata revera se habeant, ut nobis aperiri?* Neg.
2. *Galaxia, sit de natura cœlesti?* Aff.
3. *In Chasmate cœlum verè aperiatur?* Neg.
4. *Halo integrum circulum semper repræsentet?* Neg.
5. *Parelii & Paraseleni impendentia semper portendunt mala?* Aff.
6. *Terræ motus aliquid habeat supernaturale?* Aff.
7. *Iris sit Tricolor?* Aff.

CAP.

CAP. IV.

De Mineralibus, ſive Oruttologia.

SECT. I.

De Lapidibus.

1. QUARTA corporis naturalis *ſpecies* eſt *foſſile*; quod eſt *corpus* perfectè *mixtum*, è terræ *plerunq;* viſceribus erutum.

2. Hujus tria ſunt genera { 1. *Lapis.* 2. *Metallum.* 3. *Metallicum.*

3. *Lapides* ſunt vel { 1. *Pretioſi.* 2. *Vulgares.*

4. *Pretioſi* ſunt vel { 1. *Nobiliores.* 2. *Viliores.*

5. *Nobiliores* habentur *gemmæ*, 1. *Viſu*, 2. *Tactu*, 3. *Subſtantia*, 4. *Virtute*, præ cæteris *illuſtres*, & *deſiderabiles*. 6.

6. Iter *tales* eminent ſeptem paria
1. *Adamas*, & *Smaragdus*.
2. *Saphyrus*, & *Carbunculus*.
3. *Chalcedonius*, & *Topacius*.
4. *Chryſolithos*, & *Sardonix*.
5. *Rubinus*, & *Hiacynthus*.
6. *Amethyſtus*. & *Jaſpis*.
7. *Achates*, & *Turcois*.

Vid D. Bromne Pſeudodox. l. 2. c. 5.

7. *Adamas* eſt *indomabilis*, niſi à proprio *pulvere*, aut *hircino* (ut creditur) ſanguine. Nitoris eſt *ſcintillantis*, & ſummæ duritiei: *Melancholiæ* reſiſtit, & vim *Magnetis* retardat.

8. *Smaragdus*, eſt perſpicui *viroris*, & *caloris* impatiens, in coitu (ut aiunt) *frangitur*, & *vertigini*, *Epilepſiæ*, & *venenis* adverſatur.

9. *Saphyrus*, eſt coloris *cerulei*, ſeu ætherei, tranſparens tamen, quæ *veneri* reſiſtit.

Tollit & ex oculis *ſordes* frontiſq; *dolores*,
Et *vitiis* linguæ *ſubvenit illa citò*.

10. Inſtar *Carbonis* rutilat *Carbunculus*, undè *Igniti nomen continet ille lapis*. Hinc & *Pyropus* dicitur, quia *flammas* imitatur; *Sol* habetur *gemmarum*; & eſt *veneri*, & *Melancholiæ* antidotus.

11. *Chalcedonius*, coloris eſt *ſubpurpurei*. & inſtar *ſtellæ* ſcintillat: unde ſpecies ejus ſelectior *Aſterites* dicitur, qui *Lunam* habet lucentem in *meditullio*: alacritatem & hilaritatem promovet.

12. *Topacius*, coloris *aurei*, oculos reficit, ſanguinem ſiſtit, & *ſitim* etiam (ut fertur) mitigat.

13. *Chryſolithus* (cui *Chryſopraſus* & *Beryllus* vide-

videantur *congeneres*) *viriditatem* quandam refert *auream*, *porri* virorem includentem: *Melancholicis* & *Aſtmaticis* eſt *ſalutaris*, & *mercatoribus* (inquit *Rueus*) eò quod pellit ab iis *ſtultitiam*.

14. *Sardonix*, ex *Sardio*, & *onice* conflatus, coloris eſt cujuſdam carnei; & *caſtitati*, & *unguium* exulcerationibus, accedit benevolus.

15. *Rubinus*, *coccineo* ſuo colore viſum reficit, et in tenebris nonnunquam ſtricturas ſcintillantes emittit.

16. *Hiacynthus*, coloris *fulvei*, et *punicei*, à flore *concolore* nomen invenit: cor dicitur *roborare*, divitias *comparare*, et *peſtem* retundere.

17. *Amethyſtus*, coloris *violacei*; *umbelico* applicatus, *crapulam* amovet, et *ebrietatem*.

18. *Jaſpis*, ſua *viriditate*, cor exhilarat, et *parturientibus* (ut fertur) obſtetricatur.

19. *Achates*, coloris *crocei* et *leonini*; venenis obſtat, et *prudentiam*, et *facundiam* conciliat: unde *Æneæ*, poeta fidum *Achatem* adjungit.

20. *Turcois*, *Cyaneo* ſuo, et *lacteſcente* nitore, *oculos* reficit, et de *periculis* impendentibus admonet: hiſce adjiciatur *Opalus*, qui virtutes præcedentes *omnes* continere dicitur.

21. Sic de gemmis *Nobilioribus*, *viliores*, occurrunt *minori* pretio.

22. Idq; vel in *Latomiis* ſeu *Cryptis*
1. *Inanimatis*.
2. *Animatis*.

23.

23. E *Lapicidinis inanimatis*, ſeu *Cryptis* apertioribus, eruuntur

1. *Magnes*, polum *indicans*, ferrum *attrahens*, humores *purgans*, et *profluvia* ſeu *diſſenteria* ventris ſiſtens. Huic *Theamis* ſic adverſatur, ut ferrum appoſitum prorſus repellit.
2. *Chryſtallus*, candoris pellucidi, ex glacie vehementiori (fortaſsè) concretus: mitigare *ſitim* creditur,

Hunc lapidem præſtant, hyblæo melle ſolutum,
Matribus; ut lactent pignora lacte bono.

3. *Corallus*, ſub aqua *viridis*, extra aquam lapideſcens, uſui eſt in *renum* et *veſicæ* calculis, et morbo *comitiali*.
4. *Hematites*, coloris *ferruginei*, ſanguini ſiſtendo accommodatur.
5. *Galactites*, coloris ſubcinericii, *partum* juvat, et *lactis* ubertatem ſuppeditat.
6. *Marmor*, coloris eſt *varii*, cujus tres ſunt ſpecies, 1. *Porphyrites*. 2. *Alabaſtrites*. et 3. *Ophytes*, ædificiis magnificis inſerviens.
7. *Sarcophagus*, cui affinis *Epheſtites*, pulverei cujuſdam coloris, qui

qui carnes exedit, ſine ſenſu; et lenit podagram.

1. *Margarita*, ſive *vnio*, in ventre *conchæ* marinæ, valet contra *morbos* peſtiferos, oculoſq; reficit.

2. *Ætites*, punicei coloris, aut ſubcinericii, qui ex *granulis* intùs *ſonantibus* dignoſcitur, *parentibus* creditur obſtetricari.

3. *Chelidonius*, rufus et niger, è ventribus *pullorum hirundinum* eruitur; *Maniacos*, *Epilepticos*, et *Lunaticos*, aliquo modo cicurat, et erigit.

4. *Alectorius*, Chryſtallo paulò *obſcurior*, in *omaſo* Caponis *novennis* deprehenditur, ſitim extinguit: ferunt *capum* illum habentem, non amplius bibere.

4. *Buſonites*, in Rubetæ grandioris *cerebro*, venenis habetur *Alexipharmacum*: ſic *Quadrus*, in cerebro *vulturis*; *Quiris*, in nido upupæ; *Saurites*, in ventre *Sauri*, ſeu *Lacerti*; *Limacius*, in *Limacis* capite, virtutes ſuas reconditiores continent.

24. In *Animantiũ* inveniuntur *nidis*, aut *corporibus*,

6. *Ichthyites*, in *piſcibus* generatur; cujus *Capnionites*, *Percites*, et *Cancrites*,

crites ſpecies ſunt *notiſſimæ* oculorum *lemis*, et renum *calculis* ſalutaris.

7. *Bezoar* Perſis, Hebræis *Belzoar*, quaſi veneni dominus, vel potius domitor, cujus omne genus profligat, *ſpadicii* aut *melliti* eſt coloris, non eſt (ut quidam volunt) *Cervi* lachryma, ſed ex *Hircocervi* cujuſdam *Indici* Occidentalis *loculo quodam* eximitur, qualem in *hiſtricis* felle pręſentiſſimum venenis *Alexipharmacum Malacenſes* apud ſe inveniunt. vide *Panciroll*um de *Novis* repertis.

25. In *lapides vulgares* paſſim impingimus quales ſunt

1. *Tophus*, culinis & *falcibus* exacuendis inſerviens, ex his *glarea* ſcrupi, ſive calculi, plateis complanandis; aliquoties ſubſternuntur.
2. *Pumex*, ad *lævigandum* aſſumptus.
3. *Petra*, ex quo *ſaxa* exciſa ædificiis.
4. *Silex*, ex cujus cum calybe *conflictu* ignis excutitur.
5. *Smiris*, quod *vitrum* diffindit.
6. *Marga*, quæ vel *rubei*, vel *cærulei* coloris *albis* quandoq; interſtincta

terſtincta *venis*, impinguendis agris eſt adprimè utilis, præſertim ad *calcem* redacta, & ſuper *illos* conſperſa.

7. *Cos*, ſeu lapis *lydius*, cæteris omnibus eſt preferendus, laudatore Pictorio.

Scindere qui ferrum facit & documenta miniſtrat
Scindendi, Quanquam ſcindit & ille nihil.
Et tutum reddit lapis hic quemcunq́, gerentem,
Ne morſu lædat gens Inimica canum.
Indicat & fricti quæ ſplendida quæq́, metalla,
Ut poſſit mango tutus abeſſe dolo.

QVÆSTIONES.

An

1. *Lapides formis ſpecificis inter ſe differunt?* Aff.
2. *Urim & Thummim Hebreorum ad Gemmarum claſſem referantur.* Neg.
3. *Gemmæ ſpecifica aliqua virtute, applicatæ, aut circumgeſtatæ, morbos ſanent aut avertant?* Aff.
4. *Ab Incantationibus aut maleficiis circumgeſtantes immunes reddant?* Neg.
5. *Adamas inter gemmas teneat principatum?* Aff.
6. *Magnetis per Adimantem admotum, aut allium illitum impediatur operatio?* Neg.
7. *Lapis Lidius auri, vel Metallorum (quæ ſequuntur) ſit certus explorator?* Aff.

SECT. II.

De Metallis.

1. METALLUM, eſt *foſſile*, *fuſile*, *ductile*, & *tinnibile*, ex *ſulphure* tanquam *patre*, & *Mercurio* ut *matre*, in terræ *viſceribus* coagulatum.

2. Ex *Terræ* autem *fodinis eruuntur* hujus ſeptem *ſpecies*, quæ ſeptem Planetis reſpondent

1. *Aurum, Soli.*	Salutare	1. *Cordi.*
2. *Argentum, Lunæ.*		2. *Cerebro.*
3. *Plumbum, Saturno.*		3. *Spleni.*
4. *Stannum, Jovi.*		4. *Renibus.*
5. *Ferrum, Marti.*		5. *Felli.*
6. *Æs, Veneri.*		6. *Pulmonibus.*
7. *Cuprum, Mercurio.*		7. *Jecori.*

3. *Aurum* eſt *Metallum* præſtantiſſimum, ignis patiens, fulgidum, ponderoſum, & medicinis maxime accommodum, præſertim cum ſit *Potabile*.

4. Ejus ſeptem ab Hebræis enumerantur genera

1. *Sagur.*
2. *Ophir.*
3. *Dahab.*
4. *Paz.*
5. *Cethem*
6. *Barſir.*
7. *Charab.*

Druſius obſervat l. 4. c. 15. quibus omnibus tamen verbum dominī præfertur. pſ. 19. *Job.* 28. *Lam.* 4.

5. *Argentum*, eſt *Metallum* albicans, ex *ſulphure* & *Mercurio*, macerato & diluto proveniens.

6. *Plumbum*, ex fæculentiori *Sulphure*, & *Mercurio* quaſi *obſtupefacto*, ponderoſitatem præ cæteris contrahit.

7. *Stannum*, albeſcit magis, & propius accedit ad *argenti* præſtantiam.

8. *Ferrum*, indureſcit ex Sulphuris & Mercurii *pertinaciori complexu*, in uſum *Militiæ*, & operum manualium, cui *calybs* congeneris addit aciem.

9. *Æs*, flaveſcit in veneris *delitiis*, unde aurichalcum, & *Chalco-lybanon*, è montibus foſſum, ducunt proſapiam.

10. *Cuprum*, ab *ære* parum differt, niſi quod ob temperamentum *poroſius* obſervetur, & *ſonantius*.

QUÆSTIONES.

An
1. *Metalla gradibus tantum non formis differant?* Neg.
2. *Argentum vivum sit Metallis accensendum?* Aff.
3. *Conficiatur Aurum potabile?* Aff.
4. *Mosi innotuit artificium aurum destruendi?* Exod. 23. *quod exercuit in vitulo conterendo.* Aff.
5. *Chimici verum Aurum possunt efficere.* N.
6. *Cuprum præsertim temperatum, ut sit in campanis, sit cæteris Metallis sonantius?* Aff.
7. *Specula Mulierum* Exod. 38. *erant ad labrum conflandum accommodata?* Aff.

SECT. III.

De Metallicis.

1. METALLICA sunt *Mineralia* mediæ naturæ, nec ut *lapides* dura, nec ut *Metalla* fluida.

2. Suntq; vel
1. *Succi.*
2. *Terræ pretiosæ.*

3.

3. In *Succo metallari* dominatur *aqua* lentescens, ut sunt vel

1. *Nitrum*, ex quo primo confecit pulverem pyrium *Bertholdus Swartz Monachus Germannus* Anno 1380.
2. *Vitriolum*, vitream referens *perspicuitatem*, cujus *spiritus* & *oleum*, sunt præcipui pretii.
3. *Alumen*, sudor terræ *salsus*, cujus aqua inservit multis experimentis *Physicis*.
4. *Bitumen*, cujus *species* sunt 1. *Asphaltes*, tanquam optimum *cæmentum* ædificia consolidat. 2. *Succinum*, seu *Electrum* quod paleas attrahit. 3. *Naptha*, è longinquo ignem concipiens. 4. *Ambra*, quæ odoratum emittit fragrantissimum.
5. *Arsenicum*, seu *Auripigmentum*, quod *crudum* est venenum, *præparatum* tergit *carcinomata*.
6. *Antimonium*, seu *Stibium*, in cujus *oleo* & *poculo* trimuphunt *Chymici*.
7. *Opobalsamum*, ut *Stacte*, *Myrrha*, & *Bdellium*, ob ignota quadam *arbore*, ita à balsamo distillat, seu exsudat tanquam lachryma. Hoc antiquis præsertim *Judæis* innotuit, hodiè quod habetur, *factitium* est & *fictitium*.

4. Terræ præcipuè in pretio ſunt:

1. *Creta* dealbeſcens.
2. *Cinnabaris*, rubifaciens ut *ocra*, ſeu *minium*.
3. *Lemnia*, *venenis* Antidotus.
4. *Samia*, obſtans fluxionibus.
4. *Armena*, ſeu *bolus Armeniacus*; *catharris*, & aliis morbis adhibitus.
6. *Argilla*, vaſorum *fictilium* materia; hìc præ cæteris eſt in pretio *porcellana Chinenſis*, ob pulchritudinem, & virtutes.
7. *Ampelotis*, carboni è terra, effoſſo non obſimilis; *vitibus* ſalutaris, à quibus vermiculos abigit aut enecat.

QUÆSTIONES.

An

1. *Opera pyrotechnica, ex diverſis ſuccorum miſturis, & præparationibus conficiantur?* A.
2. *Pulvis* pyrius à *Bartholdo Swartz* primo erat inventus? Aff.
3. *Alumen ſit potius lapis quam ſuccus.* Aff.
4. *Ambra Græca ex ſpermate piſcium coaleſcat?* D.
5. *Poculum Antimonium ſit ſalutiferum?* D.
6. *Balſamum purum hodiè uſpiam inveniatur?* Neg.
7. *De Bdellio inter doctos aliquid certi conſtat?* Neg.

CAP.

CAP. V.

De Vegetabilibus.

SECT. I.

De Tuberibus, Fungis, & Viſco.

1. PRÆCESSERUNT *Inanimata*, vivacior ſuccedit *Animatorum* doctrina, in *Vegetabilibus*, *Senſibilibus*, & *Rationabilibus*.

2. *Vegetabilia* ſunt quæ innatâ anima *vegetante*, ſuccreſcunt, nutriuntur, & vivunt, donec vel per μάρανσιν ex calore, vel σβῆσιν ex frigore, aut ἀτροφίαν ob defectum nutrimenti ſterileſcunt, aut moriuntur.

3. Suntq; vel
1. *Tubera.*
2. *Fungi.*
3. *Viſcum.*
4. *Herbæ.*
5. *Suffrutices.*
6. *Arbuſta.*
7. *Arbores.*

4. *Tubera*, ſunt terræ *puſtulæ*, poſt *Tonitrua* præcipuè intumeſcentes, quæ *capillamentis* potius, quam *radicibus* glebæ adhæreſcunt, & quovis ictu diſſipantur.

5. *Fungi*, ſeu *Boleti* ſunt terræ ſeu arborum *mucus ſpongioſus*, edentibus plerunq; *mortiferus*.

6. *Viſcum*, eſt *gummi* quoddam genus, quod *arboribus* adnaſcitur è *quercu* exſudans. Dryes dicitur, unde *Druides* Celtarum apud Plin. Nat. Hiſt. lib. 16. c. 44. Virgil: *herbam* eſſe ſtatuit

Quale ſolet ſylvis Brumali frigore Viſcum
Fronde virere novo, quod non ſua ſeminat Arbos.

QUÆSTIONES.

An
1. *Vegetabilia inter animantia cenſeantur?* A.
2. *Inter Tubera & Fungos ſit diſcrimen?* Aff.
3. *Ridiculè Druides viſcum quercuum habuerant in pretio?* Aff.
4. *Viſcum proveniat ex turdi cacatu?* A.
5. *Dryides noſtri ex inſula Mona, ortum ſunt ſortiti?* Aff.
6. *Boleti Eſus ſit Mortiferus?* Aff.
7. *Viſcum inter herbas locum teneat?* Aff.

CAP.

CAP. II.

BOTANOLOGIA,

Seu De Herbis.

1. HERBA, eſt *Vegetabile ſeminificans*, quod *caule*, *geniculis* internodiis, & *umbella* plerumq; aſſurgit.

2. Hujuſmodi ſunt
1. *Olera.*
2. *Fruges.*
3. *Gramen.*
4. *Herbæ Exoticæ.*
5. *Medicamentariæ.*
6. *Coronariæ.*
7. *Inutiles* ſeu *Noxiæ.*

2. *Olus*, eſt *herba* ſativa, hortos *culinarios* veſtiens, unde ad varia *edulia* & condimenta excerpitur.

4.

4. Hujus *Areolæ* notiores & potiores *deliciæ* ſunt

1. *Porrum*, (cui *Allium* cæpe & *Apium* ſunt agnata.
2. *Bugloſſa*, & *Melinum*.
3. *Lactuca*, & *Portulaca*.
4. *Braſſica*, & *Cucumis*.
5. *Malva*, & *Mentha*.
6. *Spinacea*, & *Raphanum* cum *careis* ſeu *caretis*, *paſtinacis* & *Napis* in eodem *faſciculo*.
7. *Salvia* & *Feniculum*, de qua illud *Cur morietur homo cum ſalvia creſcat in horto?*

5. *Fruges* altius ſe *erigunt*, & in *ariſtis*, *ſiliquis* aut *pericarpiis* grana multiplicant, ad *hominum* & *Jumentorum* pabulum.

6. Inter has eminẽt ſeptem *paria*

1. *Triticum*, à quo *Panis*; & *Hordeum* à quo *potus* optimus, ſcilicet *Alla* & *Zythus* conficiuntur.
2. *Secale*, & *Avena*, quæ *Tritico* & *Hordeo deficientibus*, ipſorum vices ſuppleant.
3. *Faba*, & *Piſum*. *Ruſticorum* ſuo tempore *divitiæ*, & *delitiæ*.
4. *Oriza*, & *Milium*, *juſculis* & *pulmentis* ſorbillaribus attemperata.
5. *Lens*, & *Ocimum* quibus *Anates* & *beſtiæ* nutruuntur.

6.

6. *Sinape*, condiens, & *linum* veſtiens, & irretians.
7. *Lupinus*, maculas eluens, & *Papaver* ſomnum inducens.

7. *Gramen*, quaſi *ſtragulis* quibuſdam, & *ſtoreis* virentibus, terram operit.

8. Eſtq; vel
1. *Pratenſe*, fæno deſtinatum.
2. *Paſcuale*, gregum, & armentorum pabulum.
3. *Arundineum*, in *vlvis*, *bulbis*, *junceis*, *ſaccharis*, *papyris*, *ſpartis*, *ſparganeis*, conſpicuum.
4. *Fluviatile*, fluviis torpentibus, aut *ſtagnis* innatans.
5. *Tomentarium*, quod *paludes* quibus innaſcitur veſtit *gauſipio*.
6. *Barbatum*, *pannaceum*, *echinatum*, *hirſutum*, *geniculatum*, *ſtriatum*, *ſpicatum*, *cyperium*.
7. *Caudatum*, *Alopecuroides* & *Typhicum*.

9. Ad Herbarum *Exoticarum* areolas, referimus *herbas* hujuſmodi, quas invexit noſtro ſeculo *curioſitas*, & *experientia*.

10.

10. Tales sunt

1. *Mandragoras*, Mas & *fœmina*, ejus *poma* fœcunditatem & soporem inducunt.
2. *Colocynthis* seu *Cucurbita sylvestris*, quam mortem *ollæ* induxisse, putarunt *filii Prophetarum*, sed farina *polentaria* injecta cito eam abegit. 2. *Reg.* 4.
3. *Borith*, Fullorum herba *maculas* eluens. *Jer.* 2.
4. *Gith*, Melanthion seu *nardus* fragrantissimi odoris, ejus semen *lumbricos* enecat.
5. *Cinara*, quæ cineribus floret *appositis*, gratum fit multis modis edulium.
6. *Pappas*, cujus *radix* est in *deliciis* ad succum naturalem instaurandum.
7. *Eryngium* saccaro conditum naturam *reficit*, cui *sisarum* multum non cedit.

11. *Medicinæ* vulgo inserviunt hæc *septem* herbarum paria.

1. *Pæonia* castum reddens, & *Crocus* exhilarans.
2. *Ruta*, conservans, & *Helleborum* purgans, unde *Salvia* cum *ruta* faciunt tibi *pocula tuta*.
3. *Majorana* cerebro, & *Artemisia fœminis* salutaris.
4. *Absynthium hepati*, & *Hyssopus* ventriculo

ventriculo fomenttm.
5. *Rhabarbarum* ſpleni, & *Helenium* renibus gratiſſimum.
6. *Dictamnum* attrahens, & *Angelica* muniens.
7. *Moly*, protegens, & *Tobacco* reficiens.

12. *Coronariæ* ad *ornatum* & *odoratum* comparantur.

13. Id genus ſunt
1. *Roſa*, fragrans.
2. *Lilium*, albicans.
3. *Tulepa*, variegata.
4. *Narciſſus*, alliciens.
5. *Viola*, redolens.
6. *Bellis*, belliſſima.
7. *Caryophillum*, multiplex & ſpeciociſſima.

14. Pro noxiis & inutilibus herbes rejiciantur
1. *Aconitum*, interficiens.
2. *Urtica*, urens.
3. *Crambe*, nauſeans.
4. *Zizania*, cum *lappis* & *loliis* exficcans.
5. *Erica*; ſterileſcens.
6. *Alga*, graveolens.
7. *Ulva*, implicans.

QUÆST.

QUÆSTIONES.

An
1. *Colliflos nuper in uſu, ſit Braſſicæ ſpecies? videtur.*
2. *Muſcomilium, ſit nil aliud niſi Cucumis Italicus. fortaſſe.*
3. *Veſtimenta ex aliquarum herbarum Tomento tanquam ex lana conficiantur?* A.
4. *Mandragoræ, vel aliquæ aliæ herbæ ſenſu polleant?* Neg.
5. *Tobacæ fumus hauſtus ſit, Narcoticus, Paralyticus, & Hydropicus?* Aff.
6. *Roſa inter herbas odoriferas obtineat primatum?* Aff.
7. *Tulipa tantum ad ornatum conducit? videtur.*

CAP. III.

De Suffruticibus, Fruticibus, & Arbuſtis.

1. AB *Herbarum viridariis* in *ſuffruticum*, & arbuſtorum *virgulta*, & *dumeta* nos recipimus.

2. *Suffrutices* cenſeantur, quæ tam flaccido eriguntur

eriguntur caule, ut *alieno* indigeant *fulcimento*.

3. Huic infirmitati subjiciuntur.
1. *Vitis*, *ulmo* aut aliis fulcris innixa.
2. *Hædera*, parietibus affixa, aut arboribus.
3. *Lupulus*, per *contum* tortuosè ascendens.
4. *Rosmarinus*, à tergo plerúmq; *muro* vallatus.
5. *Malus* Persica, *Gossipina*, *Armeniaca*.
6. *Ligustrum*, ab admistis *vepribus* corroboratum.
7. *Cynosbatus*, per *confractas* fenestras quærens introitum.

4. *Arbusta*, ad Arborum *proceritatem*, non exurgunt, sed in *dumos* & vepreta subsidunt.

5. Hujus plicaturæ sunt
1. *Sambucus*, graveolens.
2. *Paliurus*, stimulans.
3. *Genista*, verrens.
4. *Rhamnus*, lacerans.
5. *Rubus*, mora *nigra* vel *rubra* suppeditans.
6. *Cytisus*, *butyrum & caseum* multiplicans.
7. *Pruneolus*, baccifera.

QUÆST.

QUÆSTIONES.

An
1. *Suffrutices à fruticibus commode distinguantur?* Aff.
2. *Vitis inter frutices teneat primatum?* Aff.
3. *Potus lupulatus sit simplici Alla salubrior?* Aff.
4. *Rhamnus rectè inter Arbores affectavit primatum Iudic: 9.* Neg.
5. *Deus in Cynosbato Mosi apparuit?* D.
6. *Quædam Herbæ aut frutices sentiant.* N.
7. *Tutior sit per herbas quam per Mineralia Medicina?* D.

CAP. IV.

DE DENDROLOGIA, *sive de Arboribus.*

1. ARBORES, in *Sylvis* & *Hortis* sublimiora attollunt *cacumina*.

2.

1. *Pomiferæ*, 1. *Malus*. 2. *Pyrus*. 3. *Ceraſus*. 4. *Prunus*. 5. *Meſpilus*. 6. *Malus Punica*. 7. *Cydonia* cum *aurea* & *Cytrea*.
2. *Bacciferæ*, 1. *Laurus*, 2. *Juniper*, 3. *Syccomorus*, 4. *Ficus*, 5. *Ilex*, 6. *Myrtus*, 7. *Tamariſcus*, ſeu major *myrica*.
3. *Aromatifera*, 1. *Thus*, 2. *Cynamomus*, 3. *Muſcata*, 4. *Caryophillus*, 5. *Caſſia*, 6. *Piper*, 7. *Amomus*.
4. *Reſiniferæ*, 1. *Pinus*, 2. *Abies*, 3. *Lentiſcus*, 4. *Terebynthus*, 5. *Styrax*, 6. *Lentiſcus* maſtichen exſudans, 7. *Piſa* à qua pix effluit.
5. *Nuciferæ*, 1. *Amigdalus*, 2. *Caſtanea*, 3. *Juglans*, 4. *Quercus*, 5. *Fagus*, 6. *Corylus*, 7. *Lotus*.
2. Suntq; vel
6. *Steriles*, 1. *Alnus*, 2. *Ulmus*, 3. *Betula* & *tilia*; 4. *Fraxinus*, 5. *Cedrus*, 6. *Acer*, 7. *Taxus*.
7. Ignotæ & admirandæ, 1. *Biblicæ*, ut *lignum* paradiſi, *Gopher*, *Shittim*, *Almugim*, 2. *Ferrenſes*, aquam incolis ſuppeditans, 3. *Ceibas*, in qua multæ indificant *familiæ*, 4. *Lycondo*, in regno *Congiano* ſcaphas exhibens ut *Rattia* in Virginia, & *Iga* in

Braſilia. 5. Ficus Indica ſemper ſe ſerens & *diffundens*, ut ſub ejus tegmine exercitus tandem lateat. 6. *Anatifera* in *Scotia.* 7. *Cornifera* in Goa Celacuti. *Linſchotten.*

QUÆSTIONES.

An
1. *Mala aurea & Cydonea differunt ſpecie?* Aff.
2. *Caryophillus ſit inter Arbores recenſenda?* D.
3. *Lotus noſtra ſit eadem cum Homerica?* D.
4. *Studioſi plus debeant betulæ ſive tiliæ quam cæteris omnibus Arboribus?* Aff.
5. *Conſtet de ſpecie Arboris ſcientiæ boni & mali?* D.
6. *Anates* Scoticæ *Arboris, ſunt cum domeſticis noſtris ejuſdem ſpeciei?* Neg.
7. *Cornua animalium avulſa poſſunt in terra radices agere & incrementum capere?* Neg.

TRACT.

TRACT. VI.

De Sensibilibus.

CAP. I.

De Avibus.

1. LOCUTUS est etiam *Solomon* de *Plantis* à *Cedro* quæ est in *Lybano* usq; ad *Hysopum*, quæ prodit è *Pariete*, & de *Jumentis*, & de *Volucribus*, & de *Reptilibus* & de *Piscibus*. juxta cujus διαιρεσιν, à *Vegetabilibus* ad *sensibilia* ascendimus. 1. Reg. 4. 33

2. *Corpus* autem ἀισθητικον, est sensuum *Facultatibus* & *Locomotivis* animatum; ad 1. *Discernendum*, 2. *Appetendum*, 3. *Aversandum*, 4. *Respirandum*, 5. *Manducandum & Bibendum*, 6. *Vigilandum, Dormiendum, & Somniandum*, 7. *Senescen-*

dum, & Moriendum. Quæ parva (ut loquuntur) *Ariſtotelis Naturalia* partitiùs diſcutiunt.

3. Hujus claſſes ſunt,
1. *Aves.*
2. *Inſecta.*
3. *Quadrupedia.*
4. *Reptilia.*
5. *Piſces.*
6. *Amphibia*
7. *Monſtra.*

4. *Aves plumis* ſuperbiunt, & alarum *remigio*, quaſi aëra tranant ad libitum.

5. Sunt autem vel,
1. *Majores.*
2. *Mediæ.*
3. *Minores.*

6. Majoris *caveæ* ſunt hæc ſeptem paria.
1. *Aquila* clangens; & Pipans *accipiter.*
2. *Olor* drenſans, & *Anſer* gratitans.
3. *Grus* gruens, & *Ciconia* gloterans.
4. *Vultur* pulpans, & *Milvus* lippiens.
5. *Struthio* ferrum digerens, et *Pelicanus* pullis immoriens.
6. *Pavo* pupillans, et *Buteo* ſeu *Onocrotalus* bubens.
7. *Buſtardus* Tardivolans, et *Mergus piſces* intercipiens.

Gallus

7. Medii *cortis* sunt

1. *Gallus*, Cucuriens, & *Phasianus* gulonibus in deliciis.
2. *Ardea*, Falconem prementem conspurcans, & *Fulica* piscicuis insidians.
3. *Corvus*, crocitans, & *Gracculus* frigulans.
4. *Anas*, Tetrinens & *Gavia* deglutiens.
6. *Perdix*, cacabans, & *Columba* gemens.
7. *Bubo*, Bubulans & *noctua*, seu *Nocticorax* tremendùm cucubans.

8. Minoris *Ornithotrophij*, sunt septem paria

1. *Luscinia*, sylvæ cythariſtria, & *Alauda* agri precentor.
2. *Carduelis*, modulans, & coturnix *gryliſſans*.
3. *Halcedo*, malaciæ nuntia, & *Hirundo* veris præco, de qua illud.

Cantat hirundo, fugit hirudo, creſcit arundo.

4. *Paſſer*, pippiens, & *Erithacus* blandiens.
5. *Turdus*, trutulans, & *Merula* ſtridens.
6. *Upupa*, popiſſans, & cuculus *cocciſſans*.
7. *Galgulus*, Ictericus, *Gallinago* Incautus.

QVÆSTIONES.

Consule D. Th. Brown Doctissimã Pseudologiam Epidemicam.

An
1. *Aquilæ se aggregent cadaveribus quæ è longinquo aspiciunt?* Aff.
2. *Olor cantat ante mortem?* Neg.
3. *Pellicanus proprio sanguine pullos suos à serpente ictos liberet?* D.
4. *Adulterium inter Ciconias morte puniatur. ferunt.*
5. *Ferrum convertatur in Struthiocameli nutrimentum.* D.
6. *Psittacus intelligat quid loquitur?* Neg.
7. *Anas proditrix sit ferenda in republica?* Aff.

CAP. II.

De Insectis.

1. INSECTA sunt Animalia *imperfectiora* sanguine carentia, quæ constant potissimum, ex *capite* & *ventre*, & spatio aliquo intermedio *annulis*, *incisuris*, & *convolutis* conspicuo.

1. *Faviſica*, ut 1. *Apes* mellificæ *fucis* antagoniſtæ. 2. *Veſpæ* Infeſtæ. 3. *Crabrones* noxii, majores vulgo *Hornetts*, minores *Apple drones*.

2. *Anelytra*, quadripennia, 1. *Papillio* circumvolitans. 2. *Pyrauſta*, lychnos acenſos involans. 3. *Bombix byſſificans*. 4. *Eruca* braſſicophaga. 5. *Curculio* ex mucoſis granariis evolans. 6. *Zylophthoros* lignum ex quo natus exedens. 7. *Cicada* æſtate in pratis, hyeme in *foci*s ſtridula.

3. *Bipennia*, 1. *Muſca*, 2. *Vinula*, 3. Ἐφήμερον, 4. *Eſtrus*, 5. *Culex*, 6. *Tabanus*, 7. *Cynips*.

4. *Coleoptera*, ſeu *vaginæ-pennia*, 1. *Locuſta*, 2. *Scarabeus*, 3. *Druides*, 4. *Cantharides*, 5. *Bupreſtes* bovem interficiens, 6. *Cincindula*, ſeu *lampyris* nocte ſcintillans. 7. *Blatta*, ſeu *tinea* pannis & libris inimica.

2. Suntq; vel

5. *Aptera pedata*, 1. *Formica*, 2. *Cimex*, 3. *Pediculus*, 4. *Pulex*, 5. *Scorpio*, 6. *Aranea*, 7. *Phalangium*, ſeu *Tarantula*.

6. *Vermes*, 1. *Lumbrici*, 2. *Aſcarides*, 3. *Lendix*, 4. *Teredo*, 5. *Scolex*,

6. *Cnips*, 7. *Limax*.
7. *Palustria*, 1. *Hirudo*, 2. *Scolopendra*, 3. *Tipula*, 4. *Hippocampus*, 5. *Uva*, 6. *Stella*, 7. Cicada aquatica.

QUÆSTIONES.

An
1. *Insecta respirant?* Aff.
2. *Apis sit animal politicum?* Aff.
3. *Irritati Crabrones mortem inferant?* Aff.
4. *Bombix aliquando mutet speciem?* Aff.
5. *Formica sit animal Oeconomicum?* Aff.
6. *Tarantulæ morsus musicâ tantum sanetur?* Aff.
7. *Scolecobrotia Herodis erat ex propriæ carnis putrefactione?* Aff.

CAP. III.

De Quadrupedibus.

1. QUADRUPEDES, *bestiæ* sunt *terrestres*, *solipedes*, *multifidæ*, *bisulcæ*, *plerunq;*, & *cornutæ*, quæ variis hominum usibus inserviunt lib. 2. de *Anima*. c. 1.

2.

2. Sunt enim nobis vel { 1. *Adjumento.* 2. *Nutrimento.* 3. *Nocumento.*

4. Ab adjumento *Jumenta* dicuntur, quia oneribus *ferendis*, & aliis negotiis *peragendis*, nobiſcum in partes veniunt.

1. *Elephas barriens*, humanæ diſciplinæ maxime ut videtur capax, ſi peritè cicuretur. Hebræis eſt בהמות *Job.* 40. in plurali, quaſi omnium animalium aggregatum, *Caſtellum* armatis plenum, in dorſo gerit; valet *proboſcide*, & *dentibus* exertis eburneis, ex quibus varia à *mechanicis* tornantur utenſilia.
2. *Camelus, ruminans*, gibboſo dorſo conſpicuus, clitellis accommodus; inter hos excellunt *Dromedarii* ad *itinera* celeriùs conficienda.
3. *Equus; hinniens*, bello & paci *accinctiſſimus*, generoſus, & laborioſus, *Iob.* 39. uſq; dum in Caballum *clitellarium*, aut *plauſtrarium* degeneret, & tandem *canibus* & *vulturibus* reddit cadaver.
4. *Bos, mugiens* agricolis utiliſſimus, ob 1. *Opera*, 2. *Carnes*,

3.

3. *Corium*, 4. *Sebum*, 5. *Cornua*, 6. *Lacticinia*, 7. *Stercora*, huic congener eſt *bubulus* ab *Italis* plauſtro *jugatus*.

5. *Aſinus*, *rudens*, auriculis inſignis, præter juges ſurcinarum vecturas, ſuppeditat ſtudioſis *palimpſeſta*; militibus *tympana*, *phthiſicis*, *lactis medicinam*. *Hinnus*, *Ginnus*, *Onager* ſunt ex *aſinna* hac proſapia, cui homo diſſolutus in ſcripturis aſſimilatur, pullos ſuos miriſicè deperit.

4. Hujus *ſtabuli* ſunt

6. *Mulus*, proles *Equi* & *Aſinæ*, & (niſi in Judæa) habentur ſteriles, eos invenit *Ana* cum paſceret *Aſinas Zibionis* patris ſui *Gen.* 36. 24. fixo pede Alpes *tranſit*, & Papæ hodie & *Cardinalibus* eſt in deliciis.

7. *Canis*, latrans, domeſticus, venaticus, aquaticus, mimicus, Clinicus, odoriſequus, furis deprehenſor, *coquis* in verubus circumagendis *Lixa*, omnibus pene uſibus adaptatur, pellis ipſius chirothecas ſuppeditat manibus ſcabioſis, ſtercus etiam ſub nomine *Albæ Græcæ* adhibetur in *gargariſmis*

mis ad *anginam* abigendam, hiſce copulantur *feles*, licet reluctante genio, qui in *muribus*, & *ſoricibus* profligandis, gratiſſimam *matribus-familiis* præſtant operam.

5. *Nutrimentum* præbent

1. *Ovis, balans*, 1. Vellere, 2. Corio, 3. Carne, 4. Adipe, 5. Lacte, 6. Lactibus, 7. Stercore, hominibus proficua.
2. *Caper, mutiens*, olidus, libidinoſus, barbatus, rupiſcandens, lac, & carnes præbet gratas.
3. *Porcus, gruniens*, lutulentus licet, & ſtercoreus, 1. *Lardum* tamen & 2. *Sumina*, 3. *Lucanicas*, 4. *Pernas*, 5. *Aprugnam*, 6. *Setas*, 7. *Corium*, humanis eſibus, & uſibus largitur.
4. *Cervus, gloſſitans* Cornibus ramoſis, venatoribus faceſcit negotium, caro & pellis ejus ſunt in pretio, prout cornua etiam trita, *medicis*.
5. *Lepus, levipes* fuga ſibi conſulit, ne venatoribus aut canibus inſequentibus cedat in prædam, dicunt illum quotannis ſexum mutare, caro ipſius *melancholicum* habetur nutrimentum.

6.

6. *Cuniculus*, in terræ *foveis* quærit *latebras*, quem *viverra* inde sæpius exturbat in retia, sæpe fætificat, & ipsius caro *leporinâ* videtur potior, ejusdem familiæ est *porcellus Indicus*.
7. *Testudo*, *domiporta* putamine suo *crustaceo* adeò munitur, ut curribus supervenientibus non conteritur, caro ejus *phthisicis* à medicis *Italis* præcipue commendatur.

6. *Noxiæ* habentur *feræ*, quæ vel apertè, *bellum* nobis inferunt, vel *occultò* insidiantur, vel quovis *artificio* delinitæ, nil boni conferunt.

7. Suntq; vel
1. *Grandiores*.
2. *Gracilibores*.

8. Ex *Grandiorum lustris* prodeunt
1. *Leo*, *rugiens*, in *morticina* tamen & *prostrata* non sæviens, clathris ferreis indignabundus includitur.
2. *Monoceros*, cornu in *fronte* exaltato armatus, *jugi* & *cami* impatiens, *Jobi* 39.
3. *Rinoceros*, squamis loricatis tectus, & *cornu* unico in rostro *Elephantem* adoriens.
4. *Tigris*, *rumcans*, & furiosa pernicitate

nicitate, catulos ablatos repetens.

5. *Vrſus*, *vncans* fœtus lambendo perficit, melle delectatur, unde alvearia ſentit nonnunquam aculeatiſſima.

6. *Hyæna*, fraudulentèr caulas aggreditur, paſtores nominatim evocat, & *dilaniat*, *Plin. l.* 8. c. 30.

---- *Et quæ modo fœmina tergo,*
Paſſa marem nunc eſſe marem miramur Hyænam.

7. *Panthera*, *pardalis*, *pardus*, *leopardus*, ejuſdem ſunt *ferociæ*, à quibus parum differt *felis Zibeth*, ſeu *Civecta*, quæ odoramentum circa *genitalia* gratum circumfert.

9. *Beſtiæ Graciliores* quæ minus nocent, minores habeantur, quales fere ſunt.

1. *Lupus*, *ululans* ovilibus infeſtiſſimus, pilos (ut *vulpes*) mutat, ſed non rapacitatem, huic affinis eſt *linx* acutè videns, ungues habens aduncos, & vulnerantes.

2. *Taxus*, *Taſſus*, ſeu *meles* in ſubterraneis, ſpeluncam unguibus ſibi effodit, *pellis* ejus & *pinguedo* ſunt in pretio.

3. *Vulpes* aſtutiſſimus, gallis, gallinis

linis, pullitiei, avibus, ovibus, & piſciculis inſidiatur, aliquando (ut canis) in rabiem vertitur, de quo illud

Annoſa vulpes, vix capitur laqueo.

ſenſim ſe in aquam dimittendo miro artificio ſeipſum liberet à *pulicibus*.

4. *Martes* olidus, columbariis & *avium* nidis eſt inimicus.

5. *Simia*, hominis *Mimus* ridiculus, varia ſunt ejus genera è quibus *circopithecus* cauda ludit, reliqui circumferuntur, vel catenantur ad ludibrium, ſunt qui *ſphinges* & *Satyros* huc referunt.

6. *Sciurus*, caudâ ſeipſum *adumbrans*, ab arbore ſaltat, in arborem; nucibus ſe ſaginat, & caveâ incluſus artificioſe diſpoſitâ, pulſat *tintinabula*.

7. *Hiſtrix*, *Echino* ſeu *Erinaceo* cognata, irritata vibrat *ſpinas* quibus adſtantes ſauciat.

QUÆST.

QUÆSTIONES.

An
1. *Ex coitu Equi & Asinæ, vel Asini & Equæ Muli procreantur?* Aff.
2. *Rangiferi Borealium recte Cervis accenseantur?* Aff.
3. *Hiæna & Lepus quotannis mutent sexum?* Neg.
4. *Detur Unicornis seu Monoceros (ut vulgò pingitur) in rerum natura?* Aff.
5. *Sphinges & Satyri sint simiarum species?* Aff.
6. *Leo cantum galli reformidet?* Neg.
7. *Cervus saucius dictamno seipsum sanet?* A.

CAP. IV.

De Reptilibus, sive Serpentibus.

1. SERPENS à *serpendo* dicitur, tortuosis voluminibus super ventrem incedit, & venenoso morsu, seu afflatu, obvia quæq; interficit, aut inficit.

2.

1. *Aſpis*, morſu adferens *mortem* præſentiſſimam, niſi pars læſa *confeſtim* amputetur; dicitur ad murmura *magica*, alteram *cauda*, alteram terra obturare aurē. Hujus exitialis ſunt *fæturæ*, *Dypſus*, *Hypualis*, *Hemorois*, *Preſter*, *Seps*. Ex hujus morſu *Cleopatra* ſibi mortem conſcivit.

2. *Baſiliſcus*, ſive ſerpentum *regulus*, caput habet quaſi diademate *redimitum*, non morſu tantum, ſed aſpectu perimit, quod expertus eſt *Alexander Magnus* in *Tyri* obſidione. Ad ipſius ſibilum, omnes circumquaq; *ſerpentes* tremere & autugere dicuntur.

3. *Boaz*, ventricoſus capite *vitulino*, dilatato rictu *infantem* ſolet deglutire, & integrum in omaſum dimittere. Talem *Romæ* inventum cum devorato infante narrat *Topſellus Tract: de Serpentibus*.

2. Hujus ſunt geniminis.

4. *Coluber*, quaſi *nemorum* & *vepretarum* colens umbram, vel quia in *lubricos* tractus, flexibus innoſis labitur, *cervum* dicitur fugere, ſed *Leonem* interficere, tranſeuntibus inſidiatur, &

&

& mordens, linguâ venænum infundit.

5. *Draco*, qui excreſcit nonnunquam in ſtupendam *molem*, rugitu, & *voce*, *homines* & *beſtias* territat, *Alatus* nonnunquam & *Ceraſtes* volat, & cornu ferit, Cum *Aquila* & *Elephante* perpetuas exercet inimicitias. huc referas *Draconcopedem*, virgineo vultu blandientem.

6. *Acontias*, ſeu *Iaculus*, alarum ope inter *frondes* arborum ſe occultat, indeq; in tranſeuntes ſe jactat, & inexpectatò implicat, & perimit.

7. *Vipera* quaſi vi pariens, nam ut in coitu (fertur) *fœminam* maris caput, in os ipſius inſertum amputare, ſic *fœtus* per matris latus exitum erodentes, illam relinquunt exanimam, ex ejus *carnibus* laudatiſſima apud *Venetos* conficitur *Theriaca*.

QUÆSTIONES.

An
1. *Serpentes alati volucribus ſunt accenſendi, aut pedati quadrupedibus?* Neg.
2. *Conſtare poſſit de ſpecie Serpentis iſtius per quem Diabolus Evam ſeduxit?* Neg.
3. *Dentur Draçones flammi-vomi?* Neg.
4. *Vipera fæmina in coitu marem interficiat, & in partu à fœtura interficiatur?* D.
5. *Serpens ſit omnibus agri beſtiis verſutior & prudentior?* A.
6. *Baſiliſcus aſpectu homines perimat, & ſibilo omnes ſerpentes fuget?* D.
7. *Aſpides incantamento aliquo cicurientur?* D.

CAP. V.

De Piſcibus.

1. PISCES, ſunt Aquarum *incolæ*, pulmonibus deſtituti, ſed 1. *Branchiis*, 1. *Pinnis*, 3. *Squamis*, 4. *Cruſtis*, 5. *Teſtis*, 6. *Cirris*, 7. *Acetabulis*, pro varietate inſtructi, ſic ut ab hominibus, *hamis*, *naſſis*, *retibus*, aut aliis modis intercepti,

intercepti, illorum uſibus inſerviant.

2. Suntq; vel
1. *Glabri.*
2. *Squamoſi.*
3. *Hirti.*
4. *Teſtacei.*

1. *Anguilla*, lubrica; nam, Qui capit Anguillam per caudam vix tenet illam: cui affinis eſt *Muræna*, niſi quod cum *vipera* coeat, & *Congrus*, niſi quod ſit extenſioris *amplitudinis*, & perpetuas cum *Muræna* exercet inimicitias.

2. *Lucius*, qui tam in ſuos ſævit, quam alios, à *Perca* tamen præ cæteris abſtinet, nè ab erectis ipſius *cirris*, dum illam deglutire ſatagat ſuffocetur, *Tincam* habet *Medicum*, quùm nimia ingluvie turgeat.

3. *Salmo*, gratus convivis ſuo tempore appoſitus, à Mari contra *fluviorum* impetum quotannis *aſcendens*, obruptas cataractas, arreptâ in ore cauda, ſaltu ſuperat. huius *Truttæ*, *Auratæ*, *Apuæ*, *Funduli*, *Cerruli*, & alii fratres *minimi* in fluminibus dulcioribus, *paſſibus* & *faſcibus*, ſe ſubmittunt.

4. *Mugil*, ſeu *Mugilus*, quaſi multùm agilis, præcipuè ad ſe expediendum è *Piſcatorum* inſidiis: In hoc deſipit quod *occultato* tantum *capite*, putat totum corpus ſartum tectum eſſe conſervatum. *Mullus*, *Capito* & *Aſelli* ejuſdem penè ſunt conſortii.

5. *Pagrus*, diductiori *rictu*, & dentibus acutioribus, etiam *oſtreas* in cibum comminuit. *Scombri*, *Hicci*, *Sargi*, *Halices*, *Callares*, *Sardi*, *Smeltæ*, qui catervatim quaſi *ſtatis temporibus* piſcatoribus ſe ingerunt, huc referantur.

3. Inter *Glabros* e. numerantur.

6. *Sturio*, ad novem pedum longitudinem nonnunquam excreſcens, os habet ad *ſugendum* potius quàm ad manducandum, & *oſſibus* prorſus deſtituitur niſi in capite, ſalſuginem *maris* diu non tolerat, niſi aqua dulci aliquando reficiatur; *Huſoni Danubico* dum delectat ſe adfricare, ſimul cum eo *piſce* haud minoris *pretii* & ponderis, nonnunquam capitur.

7. *Rhombus*, ſic dictus à figura cum ſit in ſe tardiſſimus, *Mugilem* tamen velociſſimum nonnunquam

nunquam in ventre geſtare obſervatur. His conformes ſunt in genere planorum & turbinatorum, *pſitta*, ſeu *paſſer marinus ſolea* ſen *lingulata*, *uranoſcopus*, *fundulus*, & alii, qui tanquam *ſandalia*, *dilatantur* aut *rotundantur*.

1. *Cetus*, *piſtrix* ſeu *balæna* Hebræorum לויתן & *Leviathan*, mole, motu & mugitu, & *fiſtulis* ſeu *tubis*, nimbos & diluvium egerentibus formidabilis. Hunc *muſculus præit*, & *divertit* à ſcopulis. eundem invadit *gravidum* vel è partu languentem infeſtus
2. *Orca*. qui mole vix minor feritate videtur multo truculentior, de ipſorum pugna legatur, *Plin. Nat. Hiſt. l. 9. c. 6.* nec lites dirimit.
3. *Xiphias*, roſtro *dentato*, & *mucronato*, omnibus tremendus, quippe qui aliquoties iſto gladio onerarias perforat *vates*, eaſq; demergit.
4. *Delphinus*, *ſolers* & *Philanthropos*, nomine *Simonis* delectatur, dorſum habet repandum, &

4. *Squamis loricati munitiores ſunt.*

roſtrum Simum inclamantibus, ſepius adſunt Piſcatoribus,& de pueris dorſo ipſorum vectis & *Arione* liberato, narrant Hiſtoriæ *Plin.lib.9.c.9. Thynni* qui gregatim etiam incedunt, hiſce aſſociantur.

5. *Carpio*, piſcinis includitur, undè dominis gratum,& ad manum præbet *edulium*. *Abramis* ſeu *Praſemus* videtur eſſe ejuſdem familiæ.

6. *Sepia*, ineſcatus effuſo attramento ſe ſubducit à *Piſcatoribus*, & *Loligo* ſeu *Scolopendra* ex effuſis *viſceribus* miro *artificio* hamum excutit.

7. *Torpedo*, manum piſcatoris *obſtupefacit*, quaſi quodam *magico* incantamento,ut ſic elabatur.

5. *Hirti* piſces (qui *piloſi* plerumq;) & *pedati*, ſunt hujuſmodi

1. *Phocas*, ſeu vitulus *marinus* ex cujus pellibus *riſci*, & *capſulæ* habent operimentum, *Canis marinus* huic commodè annectitur.

2. *Hippocampus*, ſeu *Hippopotamus*, jubatus, & *cornu* in fronte armatus, cæteris *piſcibus* minoribus eſt terrori.

3. *Lamia*, voraciſſimus eſt. ſed timidus

midus, qui nonnunquam ita *caput* retrahit *in ſtomachum*, ut ſeipſum devoret, nè ab aliis devoretur.

4. *Lepus*, inter piſces *venænatiſſimus*, cui lupus *accedat*, *velociſſimus* & *voraciſſimus*.

5. *Leo*, piſcis *ferox* à noſtris oris alienus, quemadmodum *Hoki* & *Helki*, *cornuti* iſti apud *Ichthyologos*.

6. *Syren*, quaſi ex *fœmina* & *piſce* compoſita,

----- *turpiter atrum*
Deſinit in piſcē mulier formoſa ſuperne.

7. *Triton*, humana effigie, buccinator habetur æquoreus, apud *Plin. l. 9. c. 5. Ovid. l. 1.*

6. Teſtacei ſeu cruſtacei piſces ſunt

1. *Cancri*, Retrogradi.
2. *Locuſtæ*, acetabuloſæ.
3. *Teſtudines*, tardi, & duri.
4. *Oſtreæ*, dum vivunt comedendæ.
5. *Nautilus*, ſudo cœlo velificans.
6. *Conchæ*, nonnunquam margaritis locupletatæ. quibus addantur *Cochleæ*, inter quas *Pinna* fraus, ad intercipiendos minutiores piſces, eſt notanda.

7. *Murex*, ſeu purpura tingendis *veſtibus, regalibus* ſuccum ſuppeditat.

QVÆSTIONES.

An
1. *Omnes piſces deſtituantur pulmonibus?* Aff.
2. *Sub aquis Piſces reſpirant aut dormiunt?* Neg.
3. *Muræna commercium habeat in coitu cum vipera?* Aff.
4. *Accipenſer antiquorum ſit idem cum noſtro Sturione?* D.
5. *Syrenes & Tritones ad Piſcium claſſem referantur?* Aff.
6. *Delphinus muſica delectetur & dialectum humanum intelligat?* Aff.
7. *Purpura antiquorum ſit hodiernis incognita?* Aff.

CAP. VI.

De Amphibijs.

AMPHIBIA ſunt quæ *vitam* agunt *ancipitem*, nunc *terreſtrem* nunc *aquatilem*, provt *ſors, fors*, aut *mors* illis tulerit.

Hujus

Hujus *inſtabilitatis* ſunt

1. *Crocodilus*, lachrymans, dum laniat, cum *Trochylus* avis minuta, dentes ipſius purgat, inſilit *ſorex Niloticus* in guttur ipſius apertum, & viſcera *uſq;* ad mortem corrodit.
2. *Lutra*, quæ ut in terra *prædatur*, ſic in aqua *piſciculos* devorat.
3. *Caſtor*, ob *genitalia* & pellem magno in pretio. Genitalia autem dicitur proprijs *dentibus* amputare, & *venatoribus* relinquere, ut totũ corpus liberet.
4. *Rana*, in paludibus *fœtificans*, in pratis *coaxans*.
5. *Monachus*, qui ludit in *littore*, & homines aſpicientes incautiùs ſubito in mare, attrahit & devorat.
6. *Polypus*, colori ſe adaptat *loci* cui adhæreſcit. Habet multos *pedes*, & plura *ſtratagemata*, quibus tam *piſcatoribus*, quam *piſciculis* inſidiatur.
7. *Piſcis volans*, in India occidentali, in aëre *volucribus*, in aqua *piſcibus* rapacioribus, in prædam cedit.

QVÆST.

QVÆSTIONES.

An
1. *Crocodili lachrymæ mœrorem potiùs quam lætitiam denotant?* D.
2. *Lapis Caſtoreus ſit alicujus efficaciæ in medicina?* Aff.
3. *Monachus piſcis cucullatos Papicolas ad vivum exprimat?* Aff.
4. *Caſtor amputet propria genitalia ut ſe à venatoribus liberet?* D.
5. *Sorex ſit Niloticus qui Crocodilos interficit?* D.
6. *Polypus ſicut Cæneleon colorem mutet?* Aff.
7. *Piſcis volans non avibus æquè accenſeatur, ac piſcibus?* Neg.

CAP. VII.

De Monſtris.

MONSTRA habeantur hujuſmodi *animalia*, ſive *edita*, ſive *credita* fabulosè, quæ *exceſſu*, aut *defectu*, aut *miſtura* à communi lege naturæ variant.

1. *Aves.* 1. *Harpiæ Virgilianæ.* 2. *Hippogriphes* 3. *Ruc* apud *Geographos.* 4. *Phœnix* ſeipſum Comburens & reſuſcitans 5. *Bariuchne* ſive *Ziz* Judeorum apud *Buxtorf*: in Synagog: 6. *Arnegol* cœlum criſta attingens apud *Rabbinos*. 7. *Aves luciferianæ* miſſificantes in *legenda*, in vita Sancti *Brandonis*.

2. Inſecta. 1. *Apes Catholicæ*, quæ in monaſterio Sancti *Gervaſij Pariſijs* in venerationem *hoſtiæ tranſubſtantiatæ ſacellum* cereum ædificabant. 2. *Formicæ Indicæ*, lupis haud minores, qui aurum ex terræ effodiunt *viſceribus*, & eripientes plerunq; dilaniant, quaſdam ex iis *Cornutas* & *Alatas* tradunt Strabo lib: 15. & Plin. lib. 11. c. 3.

3. Quadrupedia. 1. בהמות *Rabbinorum.* 2. *Leo* è *ſylva Elah.* 3. Perſij *Pegaſus*. 4. *Belerophontis Chimera*, quæ fuit primò *Leo*; poſtremò *Draco*; media ipſa *Chimera.* 5. Aries *Phrixeus* vellere *aureo* cutilans. 6. *Boves Iaſonis flammi-vomi.* 7. & *Janitor* Orci *Cerberus.*

4. Serpentes. 1. *Python Ovidianus.*

Talia occurrunt inter.

2

2. *Hydra Lyrnea* centiceps. 3. *Cadmi* Anguis Martius 4. *Amphisbæna* biceps. 5. *Angues* tricipites *Africani*. 6. *Draco* Africanus centum & 20 pedes *protenſus*, quem totus exercitus *Attilij Reguli* vix extinxit. 7. *Regulus*, ex galli ovo prognatus.

5. Piſces. 1. *Leviathan mas* caſtratus. 2. *Leviathan fœmina* ſalita. 3. *Jaſcon Brandonis*. 4. *Nereiades*. 5. *Tritones*. 6. *Syrenes Homericæ*. 7. *Dagon Philiſtæorum*.

6. Amphibia. 1. *Rana* totam terram *Ægypticam* operiens. 2. *Agnus Tartaricus* Zoophyton. 3. *Arbor* pudica. &c.

7. Homines. 1. *Cyclopes*. 2. *Monopedes*. 3. *Cynocephali*. 4. *Pygmæi*. 5. *Fauni*. 6. *Satyri*. 7. *Centauri*. quæ manuducunt ad exactius *Animalis rationalis* ſcrutinium

QUÆST.

QUÆSTIONES.

An
1. *Narrationes Poeticæ de Harpyiis, & Iudæorum, de cæteris suis monstris alligoricè non Historicè sint intelligendæ?* Aff.
2. *De Phœnice seipsum comburente, credibilis sit relatio?* Neg.
3. *Apes aliqua religione Catholica unquam fuerant imbutæ?* Neg.
4. *Amphisbænæ bicipites, aut Serpentes tricipites uspiam hodiè inveniantur?* Neg.
5. *Fauni & Satyri ad bestias potius, quam ad Dæmones aut homines sunt referendæ?* Aff.
6. *Leviathan Hæbreorum, Balænam tantum aut cetum aliorum denotat?* Aff.
7. *Monstra ista hominum, à D. Mandivilo Harmano Schedel & Munstero deprædicata & depicta, uspiam inveniantur?* Neg.

TRACT.

TRACT. VII.

De Corpore anima Rationali prædito, viz.

De Homine.

CAP. I.

De Partibus hominis homogeneis Continentibus.

1. HUC USQUE processit de *Inanimatis*, *Vegetabilibus*, & *Brutis*, Physica speculatio. At qui

Sanctius his Animal mentisq; capacius altæ
Deerat adhuc & quod dominari in cætera posset,
Natus Homo est.

2. Est autem *Homo* animal *rationale*, ad Dei *Imaginem*

Imaginem creatum, 1. *Zoroastro*, τολμηροτάτης τῆς φυσέως ἀγάλμα, 2. *Pythagoræ*, Μέτρον ἁπάντων, 3. *Platoni*, θαύμα θαυμάτων, 4. *Aristoteli*, Ζοὸν πολιτικὸν, 5. *Theophrasto*, Ἀντέμιμον παράδειγμα, 6. *Synesio*, *Horizon* rerum *corporearum*, & *Incorporearum*. 7. *Plinio*, *Mundi Epitome*, Omnibus Μακροκόσμου μικρόκοσμος.

Pronaq; cum spectant animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit cælumq; videre,
Jussit, & erectos ad Sydera tollere vultus.

3. Doctrina de *Homine*, generatim dicitur Ἀνθρωπολογία.

4. Estq; vel { 1. *Anotomica.* 2. *Psycologica.*

5. *Anatomia* partes hominis *corporeas* accuratius intuetur.

6. Istæ autem sunt vel { 1. *Homogeneæ.* 2. *Heterogeneæ.*

7. *Homogeneæ*, sive partes simulares sunt hujusmodi, quarum quælibet *particula* toti est *cognominis*, ut quælibet pars *carnis* est *caro*.

8. Tales autem sunt vel { 1. *Continentes.* 2. *Contentæ.*

9. *Continentes* partes habentur, quæ tanquam *capsulæ* aut *canales*, *humores*, aut *spiritus* includunt,

cludunt, aut totum corpus *circumvestiunt.*

10. Quales censeantur
1. *Cutis.*
2. *Caro.*
3. *Membranæ.*
4. *Ossa.*
5. *Venæ.*
6. *Arteriæ.*
7. *Nervi.*

11. *Cutis*, est *Catholicum* corporis *integumentum*, ex *seminæ* & *sanguine* coalescens, in 1. *Oculis*, 2. *Naribus*, 3. *Auribus*, 4. *Ore*, 5. *Umbelico*, 6. *Pudendis*, 7. *Ano*, perforata; in cæteris ubivis *porosa*; externi *tactus*, verum *organum*, & *internarum* partium *limes*, & *emunctorium*; cui supervenit *cuticula*, ex ejus *efflorescentia*, ut *tactum* facilitet, licet ipsa sit in se *insensibilis*, cutem ab externis muniat, *poros* ejus ne nimium exsudent *humores*, obturet. *Papulæ*, *exanthemata*, & hujusmodi intercutanea, *cutem* à *cuticula* sæpius quam optamus, disterminant.

12. Caro, est *succedens* corporis *involucrum*, *mollis*, *rubicunda*, ex sanguine mediocriter reficcata, genita; ut contra *æstum*, *frigus*, & cætera foris occursantia, *partes* (quas includit) tueatur, huic *Adeps* allinitur, aut immiscetur ad frigoris obstaculum, nativi caloris custodiam, & motus membrorum facilitatem, quibus quasi *exungiam* præbet, nè atterantur, & *stratum*, seu *pulvinar*, nè *fatiscant.*

13.

13. *Membrana*, eſt pars *ſimilaris frigida*, & *ſicca*, ex *ſeminis* portione *lenta*, & *ductili*, genita; ideoq; lata, tenuis & denſa, *ſenſus* tactorii organon, internas partes ſubjectas cuſtodiens, colligans, diſterminans, quales ſunt *fœtus* in utero, 1. *Chorion*, 2. *Amnios*, 3. *Allantoides*, editi, & *adulti*, 4. *Perioſtion*, *oſſium*, 5. *Meninges cerebri*; 6. *Abdominis*, *Peritoneum*; & 7. *Cordis*, *Pericardium*, in quibus ſingulæ iſtæ partes tanquam in diſtinctis ſaccu-lis includuntur.

14. *Oſſa*, ſunt animantis partes *inſenſibiles*, medullam, aut ſuccum includentes, duriſſimæ, ſiccisſimæ & frigidiſſimæ, ex *ſeminis* craſſamento, vi caloris *formatricis* indurato. *Epiphyſes* habentes, & *Apophyſes* ex ſe protuberantes, quorum adminiculo totum *ſcheliton*, per 1. Ἐνάρθρωσιν, 2. Ἀρθρωδίαν, 3. γύγλυμον, 4. Ῥάφιν, 5. Ἁρμονίαν, 6. γόμφωσιν, 7. Σύμφυσιν, ſive συγχονδρώσεως per *cartilagines*; ſeu συνδρώσεως per nervos, ſive συναρχώσεως per *carnes* compaginatur, ut cedat in totius corporis *ſtabilimen*, *rectitudinem* & *figuram*.

15. *Vena*, eſt vas *oblongum* & *rotundum*, fiſtulæ in morem *excavatum*, ſimplici & pertenui tunica, omni villorum genere textum; originem ducens ab *Hepate*, quæ per *cavam* ab ejus gibbo, & *portam*, ex ejuſdem *cavitate* divaricata, *ſanguinem* ad totius corporis *conſervationem*, & *nutrimentum* diſtribuit.

16. *Arteria*, ſimili ſtructurâ in *Corde* radicata, per *Aſperam* & *Aortam*, *ſpiritus vitales*, per to-

tum diffundit corpus, quorum *vivacitas*, ex pulsus Συσολὴ, & Διαστολὴ à *Medicis* æstimatur.

17. *Nervi*, eodem modo per *septem*, aut potius, 30 *paria* è *cerebro* prodeunt, & spiritus *animales*, ad sensum & motum deferunt, undè nervorum *beneficio*, & *officio*, nervosè videmus, *audimus*, *gustamus*, *olfacimus*, *tangimus*, & *movemus*.

QUÆSTIONES.

1. Thes. 5. 23.

An
1. *Rectè dividatur homo in Corpus, Animam, & Spiritum?* Aff.
2. *Cor, sit principale membrum?* Aff.
3. *Arteriæ radicalitèr à Corde proveniunt?* A.
4. *Organon tactus, sit cutis?* Aff.
5. *Facultas Ossa fracta aut Luxata rectificandi, possit in artem redigi?* Aff. à peritis.
6. *Nervi sensus, & Motus, sint organa?* Aff.
7. *Venæ ab Hepate, Nervi à Cerbro ducant originem?* Aff.

CAP. II.

De Partibus Contentis.

1. PARTES corporis *ſimilares continentes*, ſic ſe habuerunt, ſuccedunt *contentæ*, intra earum *capſulas* ſivè *cavitates*.

2. Sic includuntur
1. *Muſculi.*
2. *Cartilagines.*
3. *Ligamenta.*
4. *Tendones.*
5. *Spiritus.*
6. *Humores.*
7. *Excrementa*,

3. *Muſculi*, ſunt partes *carnoſæ* quæ ad influxum *ſpirituum* à *cerebro*, per *nervos* tranſmiſſorum, motus *omnes* in corpore *cient* immediate, undè 400. tales, in diverſis corporis partibus, eſſe obſervantur.

4. *Cartilago*, eſt pars corporis *ſiccior*, ut plurimum oſſium commiſſuris annexa; *oſſe* quidem mollior eſt, ſed *ligamento* durior, ad motuum *varietatem* & *ſecuritatem* comparatur: prohibet enim, nè oſſa reinvicem *atterant*, & cedendo, *externam* vim repellit.

5. *Ligamentum*, ſeu *vinculum*, oſſi plerunq; adhæret,

hæret, cartilagine paulò mollius, & *tactui* cedit *tenaciùs*, & *viscosiùs* ossa præcipue inter se tum alia membra *colligat* & *firmat*.

6. Tendo, est *Emphysis* quædam *fibrarum*, in quâ *ligamenta* & nervi qui per *carnes* passim sparguntur in unam veluti *chordam* coeunt, undè *articuli*, & cætera *moventur*, *contrahuntur*, & *dilatantur*, prout *voluntati* visum fuerit.

7. *Spiritus*, est substantia *pertenuis*, *aerea*, & *vaporosa*, præcipuum *animæ* vinculum, quo corpori alligatur, et *instrumentum*, quo *functiones* suas obit, *animales*, *vitales*, et *naturales*: ut enim corpori humano, tres istæ insunt *facultates*, ita tria sunt *membra principalia*, *Cor*, *Cerebrum*, et *Jecur*; et tria *vehicula* deferentia, *venæ*, *arteriæ*, et *nervi*, quæ dispensant istas *virtutes*, ad totum corpus animandum.

8. *Humor*, est pars corporis *liquida* et *fluida*, in spatiis *cavatis*, et *mollioribus* diffusa, ad totius *temperamentum* et *conservationem*.

9. Quales sunt
1. *Humidum radicale*, seu *primogenium*, à semine inditum, quo calor *nativus* tanquam candela, à nutrimento pascitur.
2. *Chylus*, à prima cibi *concoctione* per *chylosin* in stomacho efformatus.
3. *Sanguis*, à *Chylo* in venis *mesaraicis* preparato, et ad *hepar* delato, per αἱματωσιν coagulatus.

4.

4. *Lac*, et *Menſtrua* fœminis tantum *peculiaria*.

5. *Pituita*, ſeu *Phlegma* quod ſanguine admiſcetur ex frigidiore *chyli portione*, et non evacuatur, ſed alteratur ſæpius in ſanguinis ſubſidium, huc ſerum accedit ad ſanguinem diluendum.

6. *Cholera*, ſeu *flava bilis*, ex tenuioribus chyli partibus emergit, quæ influens è veſica fellis, per meatum *colodocum* ſua acrimonia *inteſtina*, ad excretionem *exſtimulat* et lentam pituitam everrit.

7. *Melancholia*, ſeu atra *bilis*, è liene *exundans*, mirum in modum *Spiritus* afficit, et *prodigioſos* aliquoties effectus producit.

10. Ad *Excrementa* referrimus, 1. *Sudores*, 2. *Pilos*, 3. *Ungues*, 4. *Lachrymas*, 5. *Aurium ſordes*, 6. *Sputum & mucum*, 7. *Urinam*, &c. cloacæ *tributa*, per portam eſculentam ejecta.

QVÆSTIONES.

An
1. *Muſculi ſint Organa omnis motus voluntarii?* Aff.
2. *Humores & ſpiritus rectè inter corporis partes enumerantur?* Aff.
3. *Humidum radicale poſſit reſtaurari?* Neg.
4. *Sanguis ſit ſedes animæ?* Aff.
5. *Cholera ſit cos fortitudinis?* Aff.
6. *Melancholici ſint ingenioſiſſimi?* Aff.
7. *Capillitium jubatum & cincinnatum cerebri actiones impediat?* Aff.

CAP. III.

De partibus Diſſimilaribus Organicis, ſivè Membris.

1. SIMILARES partes tam *continentes*, quam *contentas*, ſtrictim potiùs *aſpeximus*, quam *inſpeximus*: reſtant *diſſimilares*, ſivè *Organa*, quæ diverſæ ſunt *ſtructuræ* & denominationis.

2.

2. E talibus eminent præ cæteris.
1. *Caput.*
2. *Pectus.*
3. *Abdomen.*
4. *Dorſum.*
5. *Lacerti.*
6. *Femora.*
7. *Tibiæ.*

3. *Caput*, totius *Microcoſmi* Acropolis, veſtitur *Capillitio*, munitur *Cranio* & *Maxillis*, *Dentibus*, *Zigomathe*, *Hyoide*, aliiſq; oſſibus ad numerum (ut quidam putant) 20. perficitur.

4. In hujus *Meditullio* reconditur cum *Cerebello*, *Cerebrum*; *Meningibus*, *pia Matre*, & *durâ* involutum.

5. Hoc, *Senſuum* omnium eſt quaſi *Ciſterna* quædam & *Palatium*.

6. Iſti verò ſunt vel
1. *Externi.*
2. *Interni.*

7. *Externi*, veluti pro foribus *Cerebri* agunt excubias, & *externa ſingularia* comprehendunt *objecta*, quæ ad ſenſus *Internos* deferunt.

8. Suntq;
1. Viſus.
2. Auditus.
3. Odoratus.
4. Guſtus.
5. Tactus.

9. *Viſio*, perficitur in pupilli *Centro*, ex con-

curſu ſpecierum ab *objecto pyramidaliter* intrantium,& *ſpirituum* animalium, per nervos *opticos* delatorum intra tunicas, *Corneam*, *Uveam*, *Chryſtallinam*, *Vitream*, & *humores* illis cognomines.

10. *Auditus*, Malleo, incude, & ſtapide, per nervos *acouſticos*, in auribus interventu ſpecierum abſolvitur.

11. *Naſus*, *Odores* haurit per proceſſus *mamillares*, in oſſe *cribriformi*, à ſpiritibus per nervos *odoratus* dimiſſis.

12. *Guſtus*, à *Spiritibus* per nervos eodem modo deſcendentes, à *lingua* & palato percipitur.

13. *Tactum*, conſtat per *totum corpus*, in cute & cæteris partibus *interioribus*, diffundi & effici.

14. Senſus iſte verſantur circa ſenſibilia, quæ ſunt vel.
- 1. *Communia*, à *pluribus* ſenſibus percepta.
- 2. *Propria*.

15. *Communia*, quæ in *plures* incurrant *ſenſus* ſunt
- 1. *Motus*.
- 2. *Quies*.
- 3. *Numerus*.
- 4. *Figura*.
- 5. *Magnitudo*

Siquidem an aliquid *movetur* aut *quieſcit*, *numeroſum* ſit, vel talis *figura*, aut *molis* à pluribus ſenſibus diſcernatur.

Ariſt. de Animal. 2. c. 6.

16. Proprium verò objectum *viſus* eſt tantum color; *Auditus*, ſonus; *Odoratus*, odor; *Guſtus*, ſapor; *Tactus*, qualitates tactiles, quod conſtat ſatis experientia.

17.

17. *Senſus, interni* ſunt, qui *ſpecies* rerum ſenſibilium non ſolum *præſentes*, ſed etiam *abſentes*, *percipiant, cenſent, dijudicant.*

18. Suntq; vel { 1. *Senſus communis.* 2. *Phantaſia.* 3. *Memoria.*

19. *Senſus communis*, in *anteriori* cerebri *ventriculo*, diverſorum ſenſuum diſcernit objecta, cujus beneficio cognoſcimus, nos non tantùm *videre* & *audire*, ſed audire non eſſe videre, &c.

20. *Phantaſia*, ſeu *Imaginatio* ſuccedit in ſecunda *ſerie*, quæ *componit*, *dividit*, & ex *uno* multa facit, non tamen *univerſale*, à *ſingulatibus* abſtrahit.

21. *Memoria*, ſub *Bregmate*, in occipite collocata, receptas à *phantaſmate* ſpecies, reponit quaſi in *arca*, & *Reminiſcentiæ* adminiculo, rurſus tanquam *promus-condus* (cum opus ſit & poteſt) repræſentat.

22. Horum ſenſuum *ceſſatio*, dicitur *ſomnus*, qui nihil *aliud eſt* quam *ligatio ſenſus communis*, unde ſenſus *exteriores* ſopiuntur, donec per *vigiliam* liberentur.

23. *Fabricam* totius *capitis* ſuffulcit *cervix*, ſeptem *oſſibus* vertebroſis & muſculis *jugularibus*, & *cartilaginibus*, ad undiq; circumſpiciendum inſtructa; Per *quam* ab ore, *Aſpera arteria*, *Laringe* obtecta, pulmonibus *aerem*; & *Oeſophagus* cibum & potum in *ſtomachum* dimittit.

24. *Pectus*, *claviculis* & *ſterno* ſeu *Xiphoide*, unà cum

cum coſtarum curvaturis externis vallatum, ad *diaphragma* uſq; dimittitur; & includit *cor* & *pulmones*, in *diverſos lobos* diſtributos, & ſpirituum omnium vitalium eſt *promptuarium*.

25. *Abdomen*, *peritoneo*, quaſi ſacco includitur; in cujus parte ſuperiori, *Jecur* & *Lien*, cum affixo *felle*, & *renes*, cum appenſis *ureteribus*, & *uraco*, inter ſe connectuntur. undè per *Duodeni*, *Jejuni*, *Ilii*, *Inteſtini Cæci*, *Coli*, *Inteſtini recti*, *Sphincteris*, *Labyrintheos* Meandros, excrementa per *podicem* egeruntur: pars verò inferior, ſivè *Epigaſtrium*, genitalia *recondit*, & embrionis *domicilium*. Sed *Juvenis* (cui deſtinatur hoc compendium) non eſt *Idoneus* auditor hujus Naturalis Philoſophiæ, Ergo ab *Anatomicis* peritioribus à *provectioribus* petatur.

26. *Dorſum*, ſcapulis quaſi *clypeo* obtegitur, ejus *ſpina* medullæ è *vertebris* conſtat *duodecem*, à quibus totidem *coſtæ* egrediuntur. Quarũ *ſeptem* ſuperiores, ſunt *germanæ*; *quinq;* *inferiores* ſpuriæ; hiſce *aliæ* quinq; ſubjiciuntur, *lumborum* vertebræ, quas *os ſacrum* una cum *coccyge* poſtremò excipiunt: hujus medullam *extractam*, & in aquam conjectam, *caudam* (dicunt) *equinam* referre.

27. *Lacerti* prodeunt ex *humeris*, & inde uſq; ad *cubitum* unico oſſe *brachii* contenti; poſtea *radio*, & *oſſe* cubiti uſq; ad *carpum* protunduntur, unde quinq; *digiti* cum ſuis *articulis condulis*, *acinis*, & *unguibus*, volæ inſiti, manum perficiunt.

28.

28. *Femora*, quæ in *genibus* terminamus, deducuntur à *lumbis*; & ossibus *Ilii*, *Ischii*, *Pubis*, *Trochanteris magni* & *parvi*, firmantur. Hisce *copiosa*, & *pulposa* accedit *caro*, ad *pulvinar natibus* suffarcinandum, quo commodiùs sedeamus, unico osse robustiori *coxendix* est suffulta, quod aliter se habet in

28. *Tibiis*, quæ constant seorsum duobus *ossibus* oblongis, *fossili* majori, seu *Anteriori*, & *fossili* minori, seu *peroni*; ista ad *malleos* dimittuntur, & tandem post *ossa Tarsi*, & *Metatarsi* in *digitos* pedum desinunt: ubi & nos etiam (σὺν θεῷ) desinimus.

QVÆSTIONES.

An
1. *Sint quinq; tantum sensus exteriores?* Aff.
2. *Visio fiet intromittendo?* Aff.
3. *Lumen sit corpus?* Neg.
4. *Sensus exterior suam advertat sensationem?* Neg.
5. *Ossa sentiant?*
6. *Sint tres tantum sensus interiores?* Aff.
7. *Detur Sanguinis in corpore circulatio?* Aff.

CAP.

CAP. IV.

De ψυχολογία sive de Anima Rationali.

1. Μοναπολογία, sic (ὡς ἐν τύπῳ) comparuit; sequitur de ψυχολογία altior speculatio, quæ perpendit *Animam* non secundum *essentiam*, sed *informationem*.

2. *Anima*, est *Actus* primus *Corporis organici* in potentia *vitam* habentis. *Arist. De Anima. l.* 2.*c.*1. *t.* 6. per quam *vivimus* primùm, & *sentimus*, & *Intelligimus*, *Ib.c.*2.*t.*24.

3. Dicitur, 1. *â Deo creando* infundi, & *infundendo* creari. 2. *Totaq́* esse in *toto*, & *tota* in qualibet *parte* corporis. à qua 3. *Separata*, mortem infert, cum ipsa interim separata maneat *immortalis*.

4. Ejus *facultates* palmares sunt
1. *Intellectus.*
2. *Voluntas.*
3. *Arbitrium.*
4. *Conscientia.*
5. *Concupiscibilis.*
6. *Irascibilis.*
7. *Locomotiva.*

5. Intellectus *ſpecies intelligibiles* receptas à *phantaſmate*.

1. *Separat*, & ab omni materialitate liberat.
2. *Illuminat*, faciendo, ex phantaſmate φάντασμα, et ad rationis normam illud expendit.
3. *Iudicat*, an recte perceperit.
4. *Contemplatur*, reflexè, unde de ſua natura et operationibus fert ſententiam.
5. *Refingit*, et inde res novas elicit.
6. *Retinet commiſſas* à facultate agente *ſpecies*, unde intellectus dicitur. Quas
7. *Voluntati*, commendat rite *cribratas*, et *expenſas*, unde illa (niſi ſeducta) ſequitur ultimum dictamen *intellectus practici*.

6. *Voluntas*, ab intellectu apprehenſa, et indicata, eligit, vel averſatur, idq; per

7. *Arbitrium*, quod habuit in natura *inſtituta*, liberum ad bonum, ſed per *lapſum* poſtea depravatum, et ad malum tantum cernuum. quod in electis reparat *gratia*, et *liberatum* dat *Arbitrium*, tam *à quo*, nempe à peccati *ſervitute*, quam *ad quod*, ad *bonum* ſcilicet vel ad *malum*; vel libertate *Contradictionis*, ut velit vel *non* velit; vel *contrarietatis*, ut hoc potius quam illud velit, ſic ut tam *actiones* exerceat elicitas *velle*, et *nolle* quam *imperatas*, quas ſubditis præcipit facultа-

facultatibus, ut ſtare ambulare ad placitum.

8. *Conſcientia*, eſt hominis de ſeipſo *Judicium*, qua *ſeipſum accuſat, liberat, condemnat*, ſolius Dei tribunali *ſubjectum*.

9. Huic *Propoſitionem* dictat συνπρεσις, quæ eſt *habitus intellectualis* innatus, quo aſſentimur *principiis* operationum moralium, cui *aſſumptionem* (volens nolens) adaptat συνειδησις, ſivè *conſcientia*; hunc in modum

Qui vivit in peccato morietur:
hoc agnoſcit συνπρεσις.
Tum συνειδησις ſivè *conſcientia ſubſumit*,
At Ego *vivo in peccato*: Ergo, *Ego moriar*.

10. *Facultate concupiſcibili*, ferimur ad quodvis bonum, *jucundum, & delectabile*, ſivè *verum* ſit, ſivè *apparens*.

Iraſcibilis avertit à quolibet *odioſo*, vel *ingrato vero*, vel *apparente*.

11. Atq; hinc oriuntur *affectus*, ſeu *animi paſſiones*, quæ illum in *diverſa* rapiunt.
1. *Amor*.
2. *Odium*.
3. *Spes*.
4. *Metus*.
5. *Lætitia*.
6. *Triſtitia*.
7. Ἔκπληξις.

12. *Locomotiva facultas*, eſt qua à *loco* ad *locum* ſponte transfertur *animal*, vel ad ſua *deſideria* explenda, vel munera *obeunda*. vid. *Ariſt.* de Inceſſu Animalium. Doctrinam hanc de *Anima* ſummè

ſummè excolendam claudat illud S. *Auguſtini*. Actus (inquit) Animæ ſunt, 1. *Animatio*, h. e. corporis *Informatio*. 2. *Senſus*, 3. *Ars*, 4. *Virtus*, 5. *Tranquillitas*, 6. *Ingreſſio* (nempè in *cœlum*.) 7. *Contemplatio*. Quorum primus eſt de *Corpore*, *Secundus*, per *Corpus*, *Tertius* Circa *Corpus*, *Quartus* ad *ſeipſam*, *Quintus* in *ſeipſam*, *Sextus* ad *Deum*, *Septimus* apud *Deum*. Undè veræ Religionis hanc elicit Definitionem. *Vera Religio* eſt *qua ſe uni Deo*, *Anima undè ſe peccato*, *veluti abruperat*, *Reconciliatione religat*. Lib. de Quantit. Animæ. c. 35. & 36. de quibus fuſiùs in Ethicis.

QVÆSTIONES.

An
1. *Anima ſit ex traduce, vel Mortalis, juxta Ariſtotelem?* Neg.
2. *Sit Tota in Toto, & Tota in qualibet parte corporis?* Aff.
3. *Sint tres Animæ in uno vivente?* Neg.
4. *Detur intellectus Agens à patiente realiter diſtinctus?* Neg. *Carpenter Phil. lib. Dec. 2. Exer. 10.*
5. *Voluntas ſequitur neceſſariò ultimum dictamen intellectus practici?* Neg.
6. *Conſcientia vel in Nequiſſimis penitùs extinguatur?* Neg.
7. *Aliquis ante tempus à Deo præfinitum mori poſſit?* Neg.

CAP.

CAP. V.

Appendix De Physiologiæ praxi in quibusdam istius Thaumaturgicis.

1. PHYSIOLOGIÆ sic in *precedentibus*, rudi, & quasi properante *penicillo* delineatæ, subtexenda videntur quasi *appendicis*, & *conclusionis* vice, quædam *Thaumaturgica* quæ *usum* ipsius in obviis indigitent *nonnullis*, & in aliis *obstrusioribus* illustrent.

2. Talia autem quæ huc referri possunt sunt inter cætera.
1. *Physiognomica.*
2. *Magnetica.*
3. *Chimica.*
4. *Magica.*
5. *Automata.*
6. *Onorocritica.*
7. *Mnemonica.*

3. *Physiognomica*, persequitur 1. *Aristoteles* in sex capitibus. 2. *Taisnerus.* 3. *Jo. de Indagine.* 4. *Goclenius.* 5. *Christianus Moldinarius.* 6. *Jo. Baptista Porta.* 7. Præcipuè *Jo. Alstedius* in *Physicis.*

4.

4. Ejus diræ circa homines eminent species.
1. Μετοποσκοπία, seu μετωποσκοπία, ex *vultus figura*, & *lineamentis* elicienda.
2. Χειρομαντεία, in *manus vola*, *montibus*, *lineis*, & *articulis* observanda: ab *Achilino*, & *Coclite superstitiosè*, & *copiosè* tradita.

5. *Magneticam*, præ cæteris excoluit *Gulielmus Gilbertus* nostras, quem *Nicholaus Cabeus* Jesuita, cryptico quodam *plagio* defloravit, & ad suam κατοπτρίαν transtulit.

6. *Chimicos*, habemus *nominatiores* in *Theatro Chimico*, & *Systemate Millii*, quibus *Quercitanus*, *Crollius*, *Sinertus*, & alii, lucem attulerunt, tam de *parte* ipsius *Chrysopœtica*, quàm *Spagerica*.

7. *Magia Naturalis*, diffunditur per 1. *Pyrotechnica*, & *Hydrogogica*, quæ stuporem imperitioribus injiciunt, & suspicionem de Dæmonum concursu: de quibus consulas *Aristotelem* in *Mechanicis*, *Hieronem*, *Baptistam Portam*, *Patricium*, *Trithemiũ*, *Tho. Diggs*, *Robertum de fluctibus*, *Jo. Johnson*, *in Thaumaturgia Naturali*, *Jo. Wilkins*, *in Magia Mathematica*, & Authores ab illo citatos. p. 7.

8. *Automata* celebrant apud *Antiquiores*, *vulcani tripodes Dedali*, & *Gymnosophistarum* statuæ sponte se *moventes*, & dominis famulantes: his-ce accenseas *Architæ* Tarentini *columbam lignean*, *Johannis Regio-Montani muscas ferreas*, *Cornelii Tribelii perpetuum mobile* vitreum, aliaq; in *Arist. polit. l. 1. c. 4.*

horologiis nonnulla captum vulgarem ſuperantia, quemadmodum in *Iſoropicis* ponderibus, *trochicis* motibus, & hydrogogicis *aquæductibus* mirabilia.

9. De *Onorocriticis* habet quædam 1. *Ariſtoteles* in tract. de divinatione per inſomnia. 2. *Zoroaſter*. 3. *Apomazar*. 4. *Achmetes*. 5. *Artemidorus*. 6. *Peucerus*. 7. *Conimbricenſes* in *Ariſtotelem*, in quibus de *inſomniis* mira narrantur *ſomnia*.

10. Adjumenta *Memoriæ*, ſunt 1. *Topica* per *locos* & *Imagines*. 2. *Emphatica*, per voces & geſtus aliqua diverſitate *prolata*, 3. *Arithmetica*, quæ in numerato habent diſcenda. 4. *Methodica*, undè *Methodus* dicitur mater memoriæ. 5. *Medica*, petenda à *dieta*, & prophylacticis. 6. *Aſcetica* in iterata praxi. 7. *Theologica*, à Deo precibus aſſiduis impetranda. *Topica* illuſtrarunt *Schenkelius*, *Marſiottus*, *Pet. de Ravenna*, *Megiſerus*, *Jo. Alſtedius*, *& alii*, quibus anſam præbuit in tractatu de *Memoria* & *Reminiſcentia* noſter *Ariſtoteles*, quomodo confictas quaſdam *Imagines*, & per *Quinarios* aut *Heptades*, Locis ordinatim diſpoſitas, mirificè excitetur memoria: ſed ſufficiant iſta quæ præmiſimus de *Phyſicis* memoriter tenuiſſe.

QUÆST.

QVÆSTIONES.

An
1. *Physiognomia, aut χειρομαντία ad mores aut morbos dignoscendos aliquid certò conferant?* Neg.
2. *Magnetica Philosophia sit satis adhuc probata?* Neg.
3. *Chymia Chrysopoea in repub. prudenter ordinata, sit ferenda?* Neg.
4. *Magia naturalis aliquid superstitiosi in se complectitur?* Neg.
5. *Fieri possit vi naturæ perpetuum mobile aut lampas inextinguibilis?* Aff.
6. *Onorocritica aliquid certi exhibent?* Neg.
7. *Ars Memorativa naturali memoriæ plus nocet quam prosit?* Neg.

CONCLUSIO

De cosmologia.

1. Distinctim hucusq; 1. *Principia*, 2. *Affectiones*, & 3. *Species* Corporis Naturalis cum appensa saltem aliquo *Praxeos* Indicio, *Physiologicè* expendimus; supereſt tantum, ut coronidis loco. *Cosmologicè* partes compigi-

natas in stupenda *Mundi* fabrica intueamur, juxta *Mosis methodum*, qui *Arcæ* & *Tabernaculi* particulas seorsim effigiatas, junctim erigit ad præscriptum in monte prototypon, *Exodi* ultimo.

2. Mundus, est cunctorum natura constantium ordinata series, à Deo, ex nihilo creata, & in ipsius gloriam disposita, & conservata. confer. *Aristot.* in lib. de Mundo, c. 1. & 1. de cœlo. tex. 97. & 107.

3. Ejus *Anima*, est nativa *efficacia* singulis rebus à *Demiurgo* primitùs indita, juxta illud *Poetæ*.

Igneus est ollis vigor & cœlestis origo. Ænead. 6.

4. In hoc observentur
1. *Unitas.*
2. *Amplitudo.*
3. *Figura.*
4. *Dispositio.*
5. *Pulchritudo.*
6. *Alteratio.*
7. *Duratio.*

5. *Unicum* tantum esse *Mundum*, nec *plures* esse posse, contendit (sat Phylosophicè) *Aristoteles* 1. de cœlo, c. 9. Non erat igitur cur adeò *indoleret*, & *stomocharetur* ipsius ambitiosus discipulus *Alexander* M. ad *Somnium* de mundis pluribus, apud *Plutarchum* de Animi Tranquillitate; neq; enim vel decimam partem istius subjugasset *vnius*. Cujus tanta æstimanda est

6. *Amplitudo*, ut nullis *Mathematicorum*, *decempedis*

cempedis aut *diametris* commensurari exquisitè possit, utcunq; analogicè calculum instituunt, & rationes demonstrativas reddere satagunt *Geographi*, & *Astronomi*.

7. *Figura* ipsius *Circularis*, facilè ex *Motu* & præcipuarum partium *structura* deducitur; Nec figura tantæ *Universi* fabricæ affingatur convenientior, quod juxta cujusdam *Etymon*, *versa* in *unum*, omnia complectitur, & *circuli* hoc demonstratur esse privilegium, quod inter omnes figuras *Isoperimetricas*, inveniatur capacissima, sicut dilucidè in *Sacroboscum* evincit *Clavius*.

8. *Dispositio* autem *Partium*, quæ divinior esse potest, quam ut *Crassiores* ad centrum subsiderent, defæcatiores, pro cujusq; puritatis temperamento, impurioribus eminerent? sic *Terræ Aqua* supervenit, quia aquâ dæfecatior; *Aër Aquæ*, quia hac limpidior; *Ignis Aëri*, quia isto subtilior; ubi *ascensus* ad clariora, *descensus* ad crassiora, semper deducit. undè *cælum* quò sublimius eò *sublimatius* à nobis est habendum, et reputandum.

Fælices Animæ quibus hæc cognoscere sanctè;
Inq; domos superas scandere cura facit.

9. *Pulchritudo* verò, est adeò huic systemati nativa, ut indè *Mundus* dicitur à *Munditie*, et κόσμος quasi κόσμιος comptus, venustus, vel ἀπὸ τῆς συνεχοῦς ἅμα à *contesserata* partium concinnitate, undè decor ille summus effloresçit.

Non alio Mundus debebat nomine dici,
Nomen ab ornatu, convenienter habet. Nihilominus

10. *Alteratio* ejusdem & *versatilis* conditio est satis in *subsolaribus* ab *Ecclesiaste*, et in *sublunaribus*, à *Poeta Metamorphista*, deprædicata; An verò sic fatiscat *senio* ut Homo *Microcosmus* ipsius epitome, in quo *sonticus* observetur à primævo suo vigore defectus; disputant inter se *docti*, pendente adhuc *lite*: interim certum hoc manet inter tot *incerta*,

Omnia transibunt nos ibimus, ibitis, ibunt.
Ignari, gnari, conditione pari.

11. *Durationem* Mundi, terminavit *Judaica* traditio per *Eliam* quondam *Rabbinum* sex Annorum *Millibus*, Prorogat noster *Alstedius*, ad annos 6642. asseritq; se *hoc.* ex 12. Danielis et Apoc. 20. in *Chronologia* sua *demonstrasse*, *Triump. Biblici.* p.104. *Aristoteles* vero nec *principii*, aut finis ullos hic agnoscit *periodos*; fatetur tamen se ab *Antiquis Theologis* accepisse supra cælos aspectabiles esse *Beatorum* sedes, nulli *loco*, *motui*, aut *tempori* subjectas, 1. de cælo c. 9. quod quasi per Nubem *Christianorum* indigitat *Empyreum*, seu *cælorum cælum*, quò nos perducat Rerum omnium *conditor* et *conservator* Deus Triunus. AMEN.

QUÆST.

QUÆSTIONES.

An
1. *Mundus sit Æternus?* Neg.
2. *Unicus sit tantum Mundus?* Aff.
3. *Detur Mundi Anima?* Aff.
4. *Extra ultimam Sphæram dentur spacia Imaginaria?* D.
5. *Mundus incæperit à vere?* Aff.
6. *Sit hodiè quam antehac fuit, partibus aut præstantia, fractior aut imbecillior?* D.
7. *Totus hic Mundus aspectabilis sit tandem penitùs anihilandus?* Aff.

Vid. Doctissimum & plenissimum D. D. Hackwill *Rectoris C. Exon. hac de re Tractatum.*

FINIS.

HYPOMNEMATA
Metaphysica.

Monitum ad Philosophiam Theoreticam in genere Manuductorium.

1. PHILOSOPHIA est *Humanæ Sapientiæ* generale studium.

2. Estq; vel { 1. *Sceptica.* 2. *Dogmatica.*

3. *Sceptica* nil *certi* ponit, sed posita quæcunq; *oppugnat* & *deridet.*

4. Et est vel { 1. *Pyrrhonica*, de qua vid. *Sext. Empericum.* 2. *Scoptica*, apud Cornelium Agrippam, de *Scientiarum vanitate.*

5.

5. *Dogmatica*, constat *thesibus* quibusdam expensis, & *placitis*.

6. Estq; vel { 1. *Sacra*, sive *data*. 2. *Exotica*, ceu *acquisita*.

7. *Sacra*, elicitur ex *Scripturis* sacris, de qua consulendus *Franc. Valesius*, *Lamb. Danens*, *Jo. Alstedius* in *Triumpho Biblico*, & sparsim alii.

8. Et habeatur vel { 1. *Antediluvianorum*. 2. *Postdiluvianorum*.

9. Apud *Antediluvianos* memorantur *Inventa* { 1 *Cainitarum*, *Jabalis*, *Jubalis*, *Tubal-cain* Gen. 4. 2. *Sethianorum*, qui placita sua *posteris*, *duabus columnis* insculpta traduxerunt. *Joseph. Antiquit.* l. 1. c. 3.

10. *Postdiluvianorū* extant *monumenta* { 1. *Mosis*, in *Hexamero*; quibuscum conferantur *Orientalium* quæ occurrunt apud *Jobum* Philosophemata; subnectantur, *Rabbinica* & *Cabalistica* Judæorum *Recentiorum*, quæ in *Physica Harmonica* contexuit *Alsted*. 2. *Salomonis*, de quibus, *Pineda* volumen sat spissum consarcinavit.

11.

11. *Exotica Philosophia*, humanæ *industriæ* *atum* suum debet, & *incrementum*. ubi πᾶσα τέχνη (ut ostendit *Philosophus*) non tantùm *naturam* imitatur, sed supplendo ipsius *defectus*, perficit, undè illud *Alberti M. Natura* facit *habilem*; *Ars*, *facilem*; *Usus*, *potentem*. *Arist. Polit. lib. 7. c. 17. Phys. 2. c. 3.*

12. Ista observetur esse vel
1. *Ægyptiaca.*
2. *Chaldaica.*
3. *Indica.*
4. *Celtica.*
5. *Chymica.*
6. *Italica.*
7. *Græca.*

13. *Philosophia Ægyptiaca*, est σοφία ista in qua prædicavit S. *Stephanus*, *Mosen* fuisse eruditum, quæ cujusmodi fuerit, ostendit *Sixtus Senensis*, *Pierius* in *Hierogliphicis*, *Rosselius* in *Trismegisti* fragmenta. *Pseudoepigraphi* autem sunt isti lib. 14. de *sapientia Ægyptiorum*, per *Jacobum Carpentarium*, operibus *Aristotelis* infarcti (Monente Du *Val*) in Editione *Gl. Aristotelis* ultima. *Act. 7. Biblioth. l. 2. verbo Chockmah Misraim.*

14. *Philosophia Chaldaica*, eodem loco ab eodem *Senensi* copiosè explicatur. Hanc *Danielem* cum *sociis* ad unguem tenuisse, dubitandum non est, nunquam tamen *probasse* aut ad *praxin accommodasse*, contendit *Justinus Martyr*, quia instructi fuerunt à sublimiori *Pædagogo*. *Chockmah Chasdim. Dan. 1.*

15. *Indica* qualis fuit inter *Bracmannes*, & *Gymnosophistas disciplina*, in apricum protrahit *Heurnius* in *Philosophia Barbarica*; *Hiarcham* & *Phraa-*

Phraaortem inter hos fuisse celebres, insinuat S. *Hieronymus*; quos invisit *Hypocriticus* iste *Magus Apolonius Tyaneus*, apud *Philostratum*.

16. *Celticam Dryidum* doctrinam, attingit Cæsar in *Commentariis*, aperit evolutiùs *Jo. Picardus*, in *Celtopædia*, quibus concinunt ea, quæ *Baleus*, & *Chronica* nostra de Insula *Mona*, ipsorum *Academia*, promiscuè referunt.

17. *Chymicam*, suam Philosophiam deducunt à *Salomone* ipsius *Mystæ*, quàm rectè ipsi viderint; sequiori seculo, provexit plurimum *Theophrastus Bombast. Paracelsus*, sic ut ex parte ejus *Cryſopoëtica*, comedant *Ciniflones solem* (juxta Symbolum *Davidis Schram*) & *pingueſcant luce*, dum ex altera parte *ſpagirica*, *Quercetanus*, *Crollius*, *Sinertus* & alii, non contemnenda Medicinæ suppeditarunt *Alexiteria*.

18. *Italicam* Philosophiam, ex *Mercurii* columnis *Ægyptiacis*, *Pythagoram* in *Occidentem* transtuliſſe, asserit *Iamblicus* in Mysteriis. Dogmata ipsius præcipua, prostant in *carminibus aureis*, & copiosiùs expressit *Ovidius*, *Quinquennium* autem silentium discipulis ejus indictum, ut & αὐτὸς ἔφα, & *ſphærarum* cælestium *Harmonia* variam subiere censuram, quovis seculo à dissentientibus *criticis*, ab hac tamen præcipuè emanasse videtur.

Metamorp. l. 15.

19. *Philosophia Græcanica*, quæ in quatuor posteà palmares abiit *sectas*, 1. *Academicorum*, 2. *Stoicorum*, 3. *Epicureorum*, & 4. *Peripateticorum*, quibus *Plato*, *Zeno*, *Epicurus*, & *Aristoteles* celebrantur

brantur ut *Anteſignani*. Sed

20. *Ariſtoteles* tandem in *Scholis Chriſtianorum* primatum obtinuit, quia *pleniora, nervoſiora, & ordinatiora* inveniuntur ipſius dictamina. Ad hujus igitur ductum certiorem, *ſcapham* noſtram in ſequentibus dirigendam cenſemus.

QUÆSTIONES.

An {
1. *Philoſophia ſceptica ſit probanda?* Neg.
2. *Libri* 14. *de ſapientia Ægyptiorum, rectè Ariſtoteli aſcribantur?* Neg.
3. *Magia ſuperſtitioſa, & diabolica à Chaldæis præcipuè emanaverit?* Aff.
4. *Druidum Celtopædia à Romanis imperatoribus meritò erat averruncata?* Aff.
5. *Fragmenta Orientalium Philoſophica quicquam continent ſolidi?* Neg.
6. *In Chymicis plus noceat* Cryſopœia, *quam proſit pars ſpagirica?* Aff.
7. *Ariſtotelis Philoſophia ſit cæteris omnibus Scholis accommodatior?* Aff.
}

CAP.

CAP. I.

De Metaphysices Definitione & Divisione.

1. PHILOSOPHIA igitur *peripatetica*, est *Doctrina speculativa* & *practica*, ad *Aristotelis* præcipuè ductum efformata.

2. Estq; vel
1. *Metaphysica.*
2. *Pneumatica.*
3. *Physica.*
4. *Ethica.*
5. *Oeconomica.*
6. *Politica.*
7. *Polemica* sive *Tactica.*

3. *Metaphysica*, (seu ut quibusdam loqui placet ὀντολογία) est *Architectonica Doctrina*, de conceptibus *transcendentalibus*, quæ *Entis* sive *veri* sivè *Imaginarii*, in tota sua latitudine, *Principia*, *Affectiones*, & *species* expendit, & omnibus *subordinatis* disciplinis, propria designat *objecta*. Itaq;

4. Ejus *subjectum* statui potest, vel τὸ νόητον *Intelli-*

Intelligibile, quatenus *Ens* & non *Ens* ſuo includit ambitu; vel *Ens* ut *Ens*, quatenus ad *vera* & *Imaginaria* extenditur.

5. Undè *Primò Ens Rei*, *ſecundò Ens Rationis*, Metaphyſices ſubeat calculos.

6. Ut Reales expendit conceptus, duas ſortitur partes, *viz.* { 1. *Tranſcendentalem.* 2. *Prædicamentalem.*

7. *Tranſcendentia* ſunt notiones *generaliſſimæ*, quæ *ſigna* exhibent *convenientiæ*, & *differentiæ*; omnibus *prædicamentis* ſuperiora, illiſq; communia.

8. *Talia* autem ſunt in *Logicis* applicanda, in *Metaphyſicis* explicanda

Ens, *Res*, *Unum*, *Aliquid*, *Verum* *conjunge*, *Bonum* q̃. quæ communitate *prædicationis*, non Naturæ ineffabili *præſtantia* (ut *Deus*) *tranſcendere* dicantur.

9. *Supertranſcendentia* verò iſta, *Opinabile*, *Cogitabile*, *Apprehenſibile* (& ſi quæ ſint alia ejuſdem cuſuræ, *Ieſuitica Commenta*) vel ad *Dicta* referantur, vel inter *Ficta* in ſequentibus locum Inveniant.

10.

10. *Entis Realis* in parte *Metaphysices* transcendentali, expendenda occurrunt
1. Principia.
2. Modi.
3. Distinctiones reales.
4. Distinctiones formales.
5. Distinctiones modales.
6. Distinctiones à se totis subjectivè.
7. Distinctiones à se totis objectivè.

QUÆSTIONES.

An
1. *Metaphysica sit Scientia à Logica distincta?* Aff.
2. *Eadem sit cum Theologia naturali?* Neg.
3. *Ejus Abstractio sit merè notionalis?* Neg.
4. *Τὸ νόητον sivè Intelligibile, rectè statuatur ipsius subjectum?* Aff.
5. *Rectè dicatur prima Philosophia, quia primitùs est discenda?* Neg.
6. *Aristotelis Textus sit rapsodicus, potiùs quàm methodicus?* Aff.
7. *Liber 13. & 14. sint suppositii?* D.

CAP.

CAP. II.

De Entis realis Principiis.

1. PRINCIPIUM, est undè *Aliquid*, aut *fit*, aut *procedit*, aut *cognoscitur*. *Aristoteles* Metaph. l. 5. c. 1.

3. Ad Entis referantur principia
1. *Essentia.*
2. *Existentia.*
3. *Subsistentia.*
4. *Suppositalitas.*
5. *Personalitas.*
6. *Inexistentia.*
7. *Duratio.*

3. *Essentia*, est *primum* Entis *Momentum* quidditativum, quo *aliquid* esse concipiatur *Coincidens* cum alio, vel *distinctum* ab aliis. *Iraq.*

4. Competit ipsi 1. Esse *Indivisibile*. 2. *Magis & minus* non suscipere; & differre à *Quidditate & Natura*, hoc modo, ut *Essentia* dicatur in ordine ad *esse*; *Quidditas* in ordine ad *definitionem*; *Natura* in ordine ad *operationem*.

5. Undè fluunt *complexa* hæc *principia*. *Quodlibet est vel non est*, Et *Impossibile est idem, simul esse, & non esse*; in quæ ultimò resolvitur omnis *Ratiocinatio*. *Metaph. l. 4. c. 3. & 1. poster. c. 8.*

6. *Exiſtentia*, eſt ſecundum *Entis* momentum, *Eſſentiæ* ſemper proportionatum, quam reſtringit in creatis ad *Hic & Nunc*. Ideoq; eſt eſſentia ordine poſterior, & *accidentaliter* tantum ab ea diſtincta.

7. *Subſiſtentia*, exiſtentiam ulteriùs reſtringit ad *Rationalia*, nempè ad *Homines & Spiritus*, qui non tam accuratè dicantur *eſſe*, aut *exiſtere*, quam *ſubſiſtere*: à qua vix diſtinguitur

8. *Perſonalitas*, Quæ in *Rationabilibus* tantum, & non in *Brutis* eſt quærenda; nec invenitur tamen in Anima ſeperata à corpore, quæ *ſubſiſtat*, licet perſona non habetur.

9. *Suppoſitalitas*, extenditur ad omne *ſubſtantiale inviduum*, ſic ut hoc *ſaxum*, & hic *Homo* habeatur ſuppoſitum.

10. *Inexiſtentia*, eſt *Accidentium* tantummodo *peculium*, ut hic calor quo meipſum reficio, non tam accuratè dicitur exiſtere, quam huic *igni*, cui aſto, *inexiſtere*.

11. *Duratio*, eſt permanentia rei in ſua *exiſtentia*, quæ eſt vel 1. *Æterna*, ſine *principio* aut *fine*, ut in *Deo*. 2. Vel *Æviterna* in rebus *creatis*, quæ *principium* ſortiuntur, ſed non *finem*, ut *Spiritus* & *Anima Rationalis*. 3. Vel *Temporaria* in *utrinq;* terminatis, ſic *vita* hominis, & ædificii *ſtructura*, incipiunt, & deſinunt.

QVÆST.

QUÆSTIONES.

An
1. *Esse & Essentia inter se differant?* Aff.
2. *Unius rei sit unica tantum essentia?* Aff.
3. *Quodlibet esse vel non esse sit primum principium complexum?* Aff.
4. *Omne Ens habeat propriam existentiam?* Aff.
5. *Existentia seu subsistentia possit separari à re singulari?* Neg.
6. *Æternitas sit expers omnis successionis?* A.
7. *Tempus sit unum numero in omnibus rebus creatis?* Aff.

CAP. III.

De Modis Entis.

1. MODI *Entis* sunt *affectiones, Passiones,* seu *attributa,* quæ *transcendentia* habeantur potius quam *accidentia,* rem distinguentes, non componentes, sic ut non *exterminant,* sed *determinant,* & citra divisionem cum ipsa, reciprocantur.

2. Suntq; vel
1. *Unitas.*
2. *Veritas.*
3. *Bonitas.*
4. *Numerus.*
5. *Ordo.*
6. *Perfectio.*
7. *Pulchritudo.*

3. Omne siquidem Ens est *Unum, Verum, Bonum, Numeratum, Ordinatum, Perfectum,& Pulchrum,*suo *loco & conditione.*

4. *Unitas,* est Entis *affectio,* quæ ita *absolutè* rem disterminat,ut,*indivisum* sit *in se* 1. & divisum ab *aliis,* 2. *Multitudini* vero opponitur, cujus est *mensura,* 3. Et *Concordiæ* mater est, & *fundamentum.*

5. Undè aliquid dicatur *unum,* vel
1. *Simpliciter*;ut *Deus.*
2. *Secundum quid*; ut *unum genere, specie, numero.*de quibus in log.
3. *Concretum*; ut *mel & dulce.*
4. *Aggregatum*;ut *cumulus, exercitus, Ecclesia.*
5. *Continuum,*quorum ultima *continuantur,*ut partes lineæ.
6. *Contiguum,* quorum ultima se tantum *attingunt*; ut commissi inter se asseres.
7. Analogum;ut *instans,* & *punctum.*

6.

6. *Veritas*, 1. eſt *congruentia Entis* cum *Intellectu*, quo fit *Intelligibile*. 2. *Falſitati* opponitur *Contradictoriè*, præſertim in *propoſitionibus*, quæ ad *idem*, ſecundum *idem*, *ſimiliter*, & *eodem tempore*, nunquam *ſimul* poſſunt eſſe *veræ*. 3. Et eſt in rebus, *objectivè*; in mente, *ſubjectivè*; in voce *ſignificativè*. 4. Unde oritur *veracitas*; inter *intellectum*, *linguam*, & *rem*, *harmonia*, apud *Ethicos*.

7. *Bonitas*, eſt 1. *conformitas* Entis cum *voluntate & appetitu*, qua fit appetibile. 2. Unde *omnia* ſuum bonum *appetunt*, & convertitur cum *fine terminativè*, cum mediis vero *ordinativè*: opponitur autem *malitiæ*.

8. Tale autem habeatur vel
1. Per *Eſſentiam*: ſic *Deus* tantum eſt *ſummum bonum*.
2. Per *dependentiam*: ut quævis *creatura*, quam vidit Deus primo ortu fuiſſe *valde bonum*.
3. *Entis*: ſic *tranſcendentale*, quod & *Diaboli* etiam retinent.
4. *Naturæ*: ut *aqua* piſci.
5. *Gratiæ*: ut *fides* Electis.
6. *Moris*: ut *honeſta* ſtudioſis converſatio.
7. *Artis*: ut *penna* ad ſcribendum affabrè *acuminata*.

9. *Nuonerus*, eſt per quem res cohibetur ab *indecora illimitatione*: ut in Syſtemate, totius perſtat *harmonia*, juxta cujuſlibet rei *æſtimium*.

10. *Ordo*, rem sic in *propria classe* figit, ut superiori *cedat*, & inferiori *emineat*, & cum paribus *æquali gressu* absq; omni ὕστερον πρότερον ambulet.

11. Hic vero ordo in mente *divina*, est *causa ordinis* in rebus. 2. Ordo in rebus, est *causa ordinis* in *doctrina*. 3. *Ordo doctrinæ*, est norma methodi in *conteſſerandis* artium *ſyſtematibus* obſervanda.

12. *Perfectio*, est per quam Enti nihil deest in suo genere, quod *mutilationis*, aut *Imperfectionis* quamvis *labem* aspergat, sive *partium*, sive *graduum* defectum.

13. *Imperfectio* huic oppoſita, potest esse vel
1. *Negativa*, quæ non est *culpanda*, ut *neſcientia* Angelorum in *myſterio Evangelico*, vel *Filii* de die judicii quâ homo.
2. *Privativa*, carentia *perfectionis* ineſſe *debitæ*, ut *ignorantia regenerationis* in *Magiſtro* Iſrael Io. 3.

14. *Pulchritudo*, est Entis affectio *deformitati* oppoſita: per quam ab ea liberatur, & *ſenſibus Intellectui*, aut *voluntati* delectabile efficitur.

Resultat hæc ex *omnibus præcedentibus*, illud enim *pulchrum* est, quod *perfectum*, *ordinatum alicujus numeri*, *bonum*, *verum*, *& unum* esse conspicitur, à *bono* manans, *in bono* residens, & *per bonum*, ad *bonum* semper refluens.

QVÆST.

QUÆSTIONES.

An
1. *Ens, res, & aliquid, ſint prorſus ſynonima?* Aff.
2. *Modi Entis nec ſubſtantiæ ſunt nec accidentia?* Aff. Alſted.
3. *Ens, unum, verum, bonum, convertantur?* Aff.
4. *Falſitas ſit in rebus extra Intellectum?* Aff.
5. *Omne bonum ſit ſui communicativum?* Aff.
6. *Imperfectum ſit prius perfecto?* Aff.
7. *Pulchritudo tantum inveniatur in rebus corporeis?* Neg.

CAP. IV.

1. DISTINCTIONES Entis *eſſentiales* ſive *reales*, ſunt ubi res à re ſeparatim occurrit.

2. Iuxta *tales* Ens dicatur, vel
1. *Increatum*, vel *Creatum:*
2. *Infinitum*, vel *Finitum.*
3. *Incompositum*, vel *Compositum.*
4. *Incorruptibile*, vel *Corruptibile.*
5. *Causa*, vel *Causatum.*
6. *Incompletum*, vel *Competum.*
7. *Illocale*, vel *Locale.*

3. Ens Increatum; est 1. Simpliciter, ut *solus Deus.* 2. Secundum quid, omne *artificiale*, *morale*, aut *conceptibile*, vel *Imaginarium.*

Creatum: *totus mundus*, & quicquid in eo est positivum.

4. *Infinitum* est quod *nullis* limitatur *terminis: Finitum*, contra.

5. Tale autem, est vel
1. *Actu:* ratione *essentiæ*, ita solus Deus est *infinitus.*
2. *Potentia* juxta
1. *Indefinitatem:* ut *non homo.*
2. *Imperfectionem*, seu *insatiabilitatem:* ut *appetitus materiæ.*
3. *Quantitatem* extensive: sic *continuum*, quoad *divisionem* concipitur esse *divisibile* in infinitũ, numerus quoad *multiplicationem.*

Ubi

Ubi *Finiti* ad *Infinitum* nulla est *proportio*.

6. Incompositum, est *actus purus* ab omni *compositione*, aut *potentia passiva* immunis, qua simpliciter tantum pollet *prima causa*, *comparatè spiritus*. *Compositum*, contra.

7. Compositio vero, est vel
1. *Metaphysica.*
2. *Logica.*
3. *Naturalis.*
4. *Artificialis.*
5. *Poetica.*

8. *Metaphysica* est vel ex
1. *Esse* sive *Ente*, & *Essentia:* ut homo ex *recipiente substrato*, & *homonietate* perficiente.
2. *Essentia*, & *Essentia*: ut Socrates ex *natura animalis* & *hominis*.
3. *Essentia*, & *existentia:* ut quicquid actu existit extra *causas*.
4. *Natura* & *supposito:* ut in Servatore, Personâ supposità assumente naturam.
5. *Actu* & *Potentia*: ut *quod hodie* est, *cras potest* non *esse*.
6. *Materia* & *forma* Metaphysica: sic homini constanti ex anima & corpore, *homonietas* supervenit, ut forma tali materiæ.
7. *Subjecto & accidente*: ut quodvis *Concretum*.

9. Logica compositio est vel ex { 1. *Genere* & *differentia*, ut *Species*. 2. *Materia* & *forma* analogica, ut *Spiritus*.

10. Compositio *Naturalis* est, ex *materia, forma & partibus quantitativis*.

12. *Artificialis* est, ut domus ex *parietibus & tecto*.

13. Poetica habetur *Centaurus* ex *homine* & *equo*, vel *Chimera* ex variis *figmentis*. Mons aureus, ex Auro & Monte.

14. Incorruptibile, dicitur vel 1. Simpliciter ut *Deus*, vel 2. Secundum quid, ut *Spiritus, anima humana, Cœlum, Materia prima*, quæ tamen 1. *Extrinsicè* à *Deo* possunt *annihilari*, sed 2. *Intrinsicè* ratione suæ *compositionis* non possunt *dissolvi*. unde patet quomodo omnis *creatura* sit *corruptibilis*, vel incorruptibilis.

15. *Causa* est principium, cujus *effluxu, influxu*, aut *confluxu*, causatum producitur.

16. Estq; vel { 1. Efficiens. 2. Materialis. 3. Formalis. 4. Finalis. 5. Fatalis. 6. Exemplaris. 7. Sine qua non.

17. Ex quibus *Internæ*, sunt *Materia* & forma; externæ & necessariæ, *Efficiens* & *Finis*; accessoriæ

cessoriæ seu *analogicæ fatum, exemplar*, & *adjunctum* concomitans.

18. *Efficiens*, cujus vi res est vel. 1. *Primaria* invenitur, vel *subordinata*. 2. Eaq; rursus vel προεγουμένη, internè movens, vel προκαταρκτικὴ externè promovens. Sic *hominis* efficiens *primaria*, est creator: *subordinatæ*, sol & homo. *Rebellionis* interna, excitans, *concupiscentia*; externa præcipitans, *Diabolus* cum suo satellitio.

19. *Materia*, ex qua res est, observetur esse vel 1. *Proxima*, ut compositi mixti, *sal*, *sulphur*, & *mercurius*, vel remotior, ut quatuor Elementa.

20. *Forma*, per quam res est, apparet esse, vel 1. *Substantialis*, ut Anima hominis, vel 2. *Accidentalis*, ut *color corporis*.

21. *Finis*, primus in *intentione*, sed ultimus in exequtione, qui efficientem excitat ad formam inducendam capaci *materiæ*, dicatur, vel ᾧ, cui introducitur, vel οὗ, cujus gratia introducitur: sic *finis cui* Medico, potest esse sanitas, Finis *cujus*, *Sostrum*.

22. *Causa fatalis* mediorum *Concatenationem*, tam indivulsè disponit, ut haud aliter prodeat effectus, quam ad præscriptum ordinem. Sic *fatali* quasi Dei *decreto* salvatorem Judæi crucifixerunt *Act*. 4. 28. unde & celebris *Theologus*, si quis voluntatem *Dei*, Nomine *Fati* appellat, *Sententiam* teneat, *linguam* corrigat, & *Philosophus* à *Natura*, non *re*, sed ratione tantùm distinguat.

Aug. de Civit. Dei l. 5. c. 1. Aristot. Phys. l. 5. f. 57. εἱμαρμένη φύσις.

23.

23. *Exemplaris* habetur causa, *Idæa* ista in phantasia *Agentis*, sive Typus propositus juxta quem causatum efformatur. Sic erigitur Domus, ad conceptam Ichnigraphian: scribuntur literæ, ad præconceptam *Idæam*.

24. *Causa sine qua non*, est *Adjunctum* necessariò sic concurrens, ut absq; eo *causatum* non producatur. Ita lux requiritur ad *legendum:* remotio puris, ad vulnus *sanandum*.

25. Ex *his* patet 1. Quid sit *causatum*, quod nil aliud est quam *opus* aut *operatio*, nec habet aliquid quod non vel *formaliter* vel *virtualiter*, vel *eminenter*, in causis præextiterit. 2. Quomodo dicatur aliquid, vel, *Independens* vel *Dependens*. Qui verò Fato *Stoico*, aut *Mathematico* aliquid tribuunt, *Fatuos* esse arbitratur *Piccolomineus*, in Definitionibus pag. 61. *Philosophia* enim *Dominatur Fato*, quod commune est (ait quidam *Philosophorum*) effatum. Marcellius in Arment. Scientif. Tit. 31.

26. *Independens*, non indiget priori ad suum esse. *Dependens* contra.

27. *Independentia* vero, est vel à
1. *Causa*, quæ est solius *causæ causarum*, nempè *Dei*.
2. *Subjecto*, qualis est *Substantia*.
3. Termino *respectivo*, ita accidens *absolutum*.

28.

28. Unde *dependentia*, est vel
1. *Effectiva*, omnium à Deo.
2. *Subjectiva*, accidentium à *subjecto*.
3. *Respectiva*, relationum à *termino* & *fundamento*.

29. *Incompletum*, est vel
1. *Metaphysicum*, ut *anima rationalis*, quæ utcunq; sit hominis *forma*, separatim tamẽ existat.
2. *Physicum*, quod separatim non *existit*, ut *materia* absq; *forma*, vel *hæc* absq; *materia*.

30. *Completum*, est vel
1. *Absolutum*, quod compositionem alterius non ingreditur: ut *homo*.
2. *Comparatum*, quod ad alterius complementũ ordinatur: ut *Elementum*.

31. Illocale est tale, vel 1. *Simpliciter*: ut Deus, qui *nusquam* est, & tamen *ubiq;*. vel 2. *Conceptualiter*: ut *punctum*.

32. *Localia* dicantur *cætera*, vel 1. *Circumscriptivè*: ut *corpora*. 2. *Definitivè*: ut *Spiritus*. vel 3. *Adhæsivè*: ut *accidentia*.

QVÆST.

QVÆSTIONES.

An
1. *Artificiale & Morale inter creata recenseantur?* Aff. *Materialiter non Formaliter.*
2. *Qualitas in infinitum possit intendi?* Aff. *Non Physicè sed per divinam potentiam.*
3. *Detur progressus in infinitum?* Neg.
4. *Compositiones Metaphysicæ sint reales?* Aff. *Fundamentaliter, non Formaliter.*
5. *Angelus sit actus purus?* Neg.
6. *Compositio sit alia ex his, alia cum his?* A.
7. *Ubietas conveniat omnibus creaturis?* Aff. *Calovius.*

CAP. V.

De Distinctionibus Formalibus.

1. IN *distinctionibus formalibus*, rei in re observetur discrimen, ut *albedinis*, & *dulcedinis* in *lacte*. *Subjecti* & propriæ *passionis*, & eorum omnium quæ *distincte* concipi possunt per *Intellectum* ex natura rei.

2.

2. Juxta istas *formalitates* dicatur *Ens* vel
1. *Abstractum* vel *Concretum.*
2. *Absolutum* vel *Respectivum.*
3. *Communicabile*, vel non *Communicabile.*
4. *Universale*, vel *Singulare.*
5. *Per se*, vel *Per Accidens.*
6. *Actu*, vel *Potentia.*
7. *Reale*, vel *Rationis.*

3. *Abstractum*, est quod *separatam* habet *naturam*, Concretum contra. Ubi *abstrahentium* non est *mendacium* sed ἀκεράεια, quia oportet *Philosophum* esse ἀφαιρέτικον.

4. Abstractio autem est vel
1. *Realis.*
1. *Intellectualis.*

5. *Realis*, est *separatio naturalis*, ut *spiritus* à *Materia.* 2. Ut *cœli* à *terra.* 3. Ut *aquæ* à *vino*; ut fit in *Chimicis*, quæ *manualis* æquè potest esse ac *mentalis.*

6. *Intellectualis*, Intellectus tantum *operâ* perficitur, vel 1. *Negativè*, ut cum dicimus in *Technicis genus* non est *species.* 2. Vel *precisivè*, ubi è *duobus conjunctis*, unum (*alio insuper habito*) contemplamur, ut in *candela*, cum quis *lumen* tantum respiciat, non *calorem.*

7. Præcisio ista potest esse vel
1. *Realis.*
2. *Disciplinaria.*

1.

8. Realis, est vel
1. *Habitualis*, specierum Intelligibilium ab *objecto*.
2. *Formalis*, ut *quantitatis* à re *quanta*.
3. *Totalis*, ut *generis* à *specie*, vel *definitionis*, à *definito*.
4. *Ordinalis*, ut *prioris* à *posteriori*.
5. *Connexorum*, ut *soni* à *cantu*.
6. *Subjectiva*, ut corvi à *nigredine*.
7. *Suppositalis*, ut *Asini*, ab *Asinietate*, vel contra.

9. Disciplinaria, est vel, 1. *Metaphysita*, re & ratione ob omni *materia sensibili* & *Intelligibili*, ut fit in *Transcendentibus*. 2. *Logica*, *generali a præcepta* abstrahens à *particularibus*. 3. *Mathematica*, *materiam sensibilem*, non *respiciens*, dum *figuram* tantum attendit, ut *triangulum* in *quovis corpore*. 4. *Physica*, quæ ad *materiam signatam* non descendit, ut dum *hominis* proponit *Anatomiam*, *Socratis* aut *Platonis* non habet rationem.

10. Absolutum, est vel à
1. *Causa*, ut *Deus*.
2. *Subjecto*, ut *Substantia*.
3. *Termino*, ut *Quantitas* & *Qualitas*.

11. *Respectivum* contra, 1. fundatur semper in aliquo *absoluto*. 2. Nec *relationes* hujusmodi *componunt*, sed *distinguunt*. 3. Et *relatio Transcendentalis*, non advenit *subjecto* per *modum formæ*, sicut *Prædicamentalis*, sed *essentialiter* in *eo* includitur,

tur, qualis intercedit inter *Deum* & *Creaturam*: *Substantiam & Accidens*, *Actum & Potentiam*.

12. *Communicabile*, est quod alteri potest esse *commune*. non-*communicabile secus*.

13. Fit q; vel per
1. Ταυτότητα sive *Identitatem*, ut *divina essentia tribus personis*.
2. Ἕνωσιν seu *unionem*, ut *ignis & ferri*.
3. Ἀλλοίωσιν seu *alienationem*, ut ignis confert *manui calorem*, quem etiam in se *retinet*.
4. Μετάβασιν translationem, ut *liber* alteri *accommodatus*, vel donatus.

14. *Universale*, est quod plura *suo ambitu* complectitur. est vel 1. *Causando*, ante rem: ut *Deus*, & *Natura*. 2. *Essendo*, in re: ut quinq; *prædicabilia*, quæ sunt in *multis*. 3. *Prædicando*, post rem: ut *secundæ intentiones* generis, speciei. 4. *Repræsentando* ipsas res *multas*: ut *species Intelligibiles*, & *sensibiles*. 5. *Significando*: ut *æquivocum una voce* multa ingerens. *Singulare* contra,

15. *Per se*, est tale, vel 1. Ratione *Entitatis*, in eodem *prædicamento*. 2. Vel *Effectus*, in *propria operatione*: ut *ignis* per se calefacit. 3. *Prædicationis*, in *necessaria attributione*, unde quatuor modi dicendi per se,

16. *Per Accidens*, contra: ut *Socrates* per se, disputat: per accidens, est *doctus* vel *musicus*.

17. Actus est vel 1. *Purus* excludens om-

nem *passivam potentiam*, ut *Deus*. 2. *Entitativus*, *materiæ* tantum *primæ*. 3. *Quidditativus*, rem constituens in *distincto* Entitatis *gradu*. 4. Primus, ut *forma*. 5. *Secundus*, operatio. 6. *Signatus*, character, quo res designatur. 7. *Exercitus*, operatione expressus.

18. Potentia, est vel 1. *Objectiva* seu *Idealis*, sic mundus fuit in mente *divina* antequam creabatur. 2. *Activa*, ut *ignis* comburendi. 3. *Passiva*, ut ceræ recipiendi *impressionem*. 4. *Naturalis*, ut *Lapidis* ferri deorsum. 5. *Obedientialis*, ut omnis creaturæ, *fieri* quicquid creator vult.

19. *Reale*, est aliquid *positivum* in rerum natura, oppositum *Imaginario*. *Rationis* contra.

20. Ens rationis, est vel { 1. *Ratiocinatæ*. 2. *Ratiocinantis*.

21. Ratio *ratiocinata* fundamentum habet in *rebus*, & *conceptus* inde efformat vel 1. *Subjective*, ut *species Intelligibiles* in mente, vel 2. *Objectivè*, ita artificialia ab *ideis*. 4. *Comparatè* sic habemus *notiones primas* & *secundas* 5. *Universales* à singularibus collectas.

22. *Ratio ratiocinans*, idola quædam fingit ad *placitum*, quibus *Hypotheses Mathematicas*, *Privativa*, *Poetica*, *Vacuum*, *Chimeras*, *Montes Aureos*, adeoq; ipsum *nihil* speculatur.

QUÆST.

QUÆSTIONES.

An
1. *Scoti formalitates sint probandæ, aut Thomisticis præferendæ?* D.
2. *Distinctio formalis, à distinctione à natura rei sit diversa?* Neg.
3. *Abstrahentium sit mendacium.* Neg.
4. *Detur absolutum sinè omni prorsus ad aliud habitudine?* Neg.
5. *Relationes tantum distinguant, non componant?* Aff.
6. *Omnium rerum sit Actus Entitativus?* Aff.
7. *Purè nihil cadat sub conceptu?* Aff.

CAP. VI.

De Distinctionibus Modalibus.

1. DISTINCTIO MODALIS, est ejusdem *rei à se*, ob varias habitudines *ad alia*, discrepantia.

2. Cujusmodi habeantur Entis *Modificationes*, per
1. *Totum*, & *partem*.
2. *Mensuram*, & *mensuratum*.
3. *Signum*, & *signatum*.
4. *Prius*, *Connexum*, & *Posterius*.
5. *Fixum*, & *Fluxum*.
6. *Possibile*, & *Impossibile*.
7. *Idem*, & *Diversum*.

3. *Totum*, est 1. Illud quod habet *partes*, & 2. Est Majus sua *parte*. & 3. *Particula* partis, est *pars* totius. & 4. *Partes* unitæ tantum totum constituunt.

4. Estq; vel
1. *Perfectione:* ut *Deus*.
2. *Potestativum:* ut anima, ratione facultatum.
3. *Essentiale:* ut homo ex *anima* & *corpore*, corpus ex omnibus membris *integrum*. cui opponitur *mutilum*.
4. *Homogenium*, cujus omnes partes suscipiunt *denominationem totius*, ut quælibet pars *aquæ* est *aqua*.
5. *Heterogeneum*, ex membris *denominationem totius*, non recipientibus: ut *caput* non est *homo*.
6. *Collectivum*, ex membris *Integris*: ut libra ex 20^s.
7. Per *accidens* ut *causa* & *effectus*, *accidens* & *subjectum*.

Pars eadem subit *divisiones*.

5.

5. Menſura, eſt *primum minimum* in ſuo genere, ex cujus *limitatione*, vel *repetitione*, *menſuratum* æſtimatur. Eſtq; vel 1. *Intrinſeca:* ut *res à forma*. 2. Vel *Extrinſeca:* ut *pannus* ab *ulna*. unde *menſuratum* ſequitur eandem Analogiam.

6. *Signum*, eſt quod *ſeipſum*, & præter ſe, *aliud præteritum*, *præſens*, aut *futurum* repræſentat. Signatum ingerens,

7. Eſtq; vel
1. *Intelligibile*, ſeu *formale*, ut *idea* rei concepta, per ſpecies intelligibiles.
2. *Illativum*, ut *veſtigium* oſtendit *tranſitum animalis*.
3. *Memorativum*, ut *Jus diluvii*.
4. *Demonſtrativum*, ut *fumus*, *ignis*; *vini*, *hædera*.
5. *Prognoſticon*, ut nubes, *pluviæ*.
6. *Obſignans*, ut ſigillum, *pacti*; anulus miſſus, *amicitiæ*; *Sacramentum*, *fœderis*.
7. *Præbens*, ut *diploma* traditum, *dignitatis*, aut collati *beneficii*.

8. *Prius*, eſt vel 1. *Antecedens* ſimpliciter, ut *corruptio* generationis. vel 2. Ut *cauſa* cauſati, ut *candela* luminis. vel 3. Ut *Principium* principiati, ut *Egreſſus*, *Itineris*. *Connexum* modos *ſimul* indicat; de quibus in *Poſt-prædicamentis*. *Poſterius vero*, *eſt vel* 1. Per modum *effectus*, ut dies ad exortum *ſolis*, vel 2. Per modum *illationis*,

ut *tenebræ* ad *ablationem luminis*. Vel 3. per modum *ordinis*, ut *ternarius* ad hypothesin *duorum* præcedentium.

9. Ens *fixum* seu *permanens*, simul & semel *seipsum* exhibet, ut *Substantia*, *Quantitas*.

10. *Fluxum*, *Tempus*, cujus unum *momentum* tantum sub sensum cadit, quia instar fluvii

Labitur & *Labetur* in omne *volubilis* ævum.

11. *Possibile*, est quod non invehit terminorum *repugnantiam* ex parte *Entis*. *Impossibile* contra.

12. Estq; vel *respectu*
- 1. *Dei*, sic omnia sunt *possibilia* quæ possunt *fieri*.
- 2. *Rei*, sic datur *possibile* vel *Impossibile*, Vel 1. *Absolutè*, ut contradictoria simul esse vera. Vel ex *hypothesi*, ut *Phaëtonti* currum Patris rectè aurigare.

Magna petis Phaëton, & quæ non viribus istis,
Munera conveniunt, nec tam puerilibus annis.

13. *Idem* est vel
1. *Essentiale*, ut *personæ* in Trinitate.
2. Personale, ut natura *divina* & *humana* in *Christo*.
3. *Genere*, ut *homo* & *brutum*.
4. *Specie*, ut *Carolus*, & *Jacobus*.
5. *Numero*, ut *Ensis*, & *Gladius*.
6. *Causa & effectu*, quæ habent *easdem causas*, & *effectus*.
7. *Subjecto & adjuncto*, quæ *subjecto* vel adjuncto *eodem* uniuntur.

14. *Diversum*, est vel 1. *Divisione* in partibus *quantitativis*. 2. *Distinctione*, ut in *terminis formalistarum* apud *Thomistas*, & *Scotistas*. 3. Vel *alietate*, sive, non *identitate* ut inter *habitum* & *privationem*, & inter *privationem* & *nihil*, vid. *Trombetam* in Scoti *Formalitates*.

QUÆSTIONES.

An
1. *Totum essentialiter differat à suis partibus?* Neg.
2. *Positis omnibus partibus ponatur totum?* N.
3. *Mensura in suo genere debeat esse minima?* Aff.
4. *Signum semper inferat signatum?* Aff.
5. *Aliquid seipso possit esse prius & posterius?* Neg.
6. *Aliqua pars fluxi sit permanens*. Neg.
7. *Intellectus humanus dijudicet quid Possibile, sit vel Impossibile?* Aff.

CAP. VII.

De Distinctionibus à se totis Subjectivè & Objectivè.

DISTINGUUNTUR à se *totis subjectivè*, quæ sic separatim *existunt*, ut nunquam ad idem *subjectum* conflandum contrahantur: ut duo individua *ejusdem speciei*, nempè *Petrus*, & *Paulus* ad constituendum *hominem*.

Itaq; *corpus* & *anima*, licet hoc sit *materiale*, illud *immateriale*, à se totis *subjectivè* non distinguuntur, quia possunt in unum *subjectum*, nempè *hominem*, coalescere.

Distinguuntur à se totis *objectivè*, quæ in nullo conceptu *reali quidditativo* conveniant, ut duæ ultimæ *differentiæ*, *Rationale* & *Irrationale*, *Deus* & *Creatura*, *aliquid* & *nihil*.

QUÆSTIONES.

An
1. *Necessarium & contingens sicut Veritas & Falsitas, sint propositionis potius affectiones, quam Entis in genere?* Neg.
2. *Causæ & Causatum, Principium & Principiatum, ad modo priorum rectè referantur?* Aff.
3. *Communicabile & Incommunicabile ex doctrina universali, & singularis rectè æstimetur?* Aff.
4. *Deus & Creatura in aliquo conceptu reali conveniant?* Neg.
5. *In Contradicentibus, uterq; terminus possit esse affirmativus?* Neg.
6. *Omnia quæ distinguuntur sunt diversa?* N.
7. *Aliquod quovis conceptu possit esse Nihil?* Neg.

PARS.

PARS II.

Prædicamentalis.

1. EXPEDITA est *Pars Transcendentalis*, descendendum ad *Prædicamentalem*.

2. *Prædicamenta*, Metaphysicus eatenùs persequitur, quatenùs ex *distinctis substantiarum & accidentium classibus*, *subjecta* omnibus *subordinatis* disciplinis *elicent*, & *tractanda* proponat.

3. Classes istæ sunt
1. *Substantiarum.*
2. *Quantitatum.*
3. *Qualitatum.*
4. *Relationum.*
5. *Actionum.*
6. *Passionum.*
7. *Circumstantiarum Externarum.*

4. *Substantia*, est Ens *suffultum* propria *essentia*, cui innituntur omnia *accidentia*.

5.

5. Estq; vel
   1. *Incorporea*; subjectum *Pneumatologiæ*.
   2. *Corporea*; subjectum *Physicæ*, sive *Somatologiæ*.

6. Quantitas, est *Ens extensum* ratione *molis*, *virtutis*, aut *aggregationis*. Unde aptum est, ut in *partes* dividatur.

7. Estq; vel
   1. *Longitudo*; subjectum *Mecometriæ*.
   2. *Latitudo*; subjectum *Embadometriæ*.
   3. *Profunditas*; pensum *Steriometriæ*.
   4. *Locus*; Objectum *Topometriæ*.
   5. *Tempus*; Subjectum *Chronometriæ*.
   6. *Numerus*; Subjectum *Arithmeticæ*.
   7. *Oratio*; Subjectum *Musices & Poeseos*.

8. Qualitas, *Formam* rerum insequitur, & *variè* afficit.

9.

9. Estq; vel
1. *Habitus & dispositio*, subjectum *Hexologiæ*.
2. *Naturalis* Potentia & *Impotentia*, pensum (præcipuè) *Medicorum*.
3. *Passio* et Patibilis *Qualitas*, *Ethicis & Physicis Objectum*.
4. *Forma & Figura*, *Pictorum & Statuariorum* opus.
5. *Pondus*, peculiare *Isoropicis*, & *Trochlicis*, *Tantitates* Gravium & Levium expendentibus.
6. Συμπάθεια et Αντιπάθεια in quibus præcipuè sudant *Chimici*, & *Thaumaturgici*.
7. *Virtus supernaturalis*, *Fides*, *Spes*, *Charitas*, de quibus agunt *Theologi*.

10. *Relationes*, omnibus *Genealogistis* & scriptoribus de *officiis*, suppeditant *Themata*.

11. *Actiones*, 1. *Ethicas*, 2. *Civiles*, 3. *Viles*, Juris-periti expendunt.

12. *Passiones* in παθολογία commodè discutiuntur.

13. Ex circumſtantijs externis reſpicit
1. *Vbi*; *Cinoſuram Geographiæ.*
2. *Quando*; *ſcopum Chronologiæ.*
3. *Situs*; *negotium Tacticorum.*
4. *Habitus*; penſum *Mechanicorum.*

14. Ita tandem, ut ubi deſinit *Metaphyſicus*, *reliquæ omnes artes incipiunt.* Et (veluti *famulæ a Domina*) *penſum* limitatum accipiunt. Sic ut hęc *Ciſterna* ſit *ampliſſima*, reliquæ *diſciplinæ*, ut inde deductæ *Canales*, ſive *Tubuli.*

QVÆSTIONES.

An
1. *Metaphyſici ſit Tractare de Prædicamentis.* Aff.
2. *Quævis ſubſtantia ſi capax accidentium?* A.
3. *Inhærentia ſit de Eſſentia accidentis?* A.
4. *Pondus rectè dicatur* Tantitas *Gravium & Levium?* D.
5. *Relationes componant?* N.
6. *Sympathiæ & Antipathiæ ad regulas rectas revocentur?* N.
7. *Circumſtantiæ iſtæ Prædicamentales; Vbi, Quando, Situs, & Habitus* omnibus *Entibus* ſuo *modo* accomodentur? A.

Pars

Pars Ultima.

De non-Ente *sive* Ente Rationis.

1. EXpositis Entis *Principiis*, *Affectionibus* & *speciebus*. Cum *Non-Ente* est concludendum.

2. *Non-Ens* videtur *Entitatis Exterminium*; per *Accidens*, ex Entis *similitudine*, titulum tantùm acquirens. Itaq;

3. Habet tantùm *Esse* in *Intellectu Objectivè*. Et,

Zuarez. Hurtado. Ariaga.

4. Dividitur *vulgò* in 1. *Privationem*, 2. *Negationem*, & 3. *Relationem*. *Complutenses* autem redigunt ad triplex quasi *prædicamentum* 1. *Fictionis*, 2. *Carentiæ*, & 3. *Relationis*, & sub *Carentia* disponunt *Privationes*, & *Negationes*. Sed non opus est ut moveretur *Relatio*, a statione inter *Prædicamenta realia*, & *figmenta* possunt facile *ampliari*, ad methodum *præcedentium* Heptadum, sic ut

5.

5. *Prædicamentum* hoc ferruminent *Imaginarium*
1. *Nihil.*
2. *Privatio.*
3. *Atomi.*
4. *Ideæ.*
5. *Idola.*
6. *Inanitates.*
7. *Chymeræ.*

6. *Nihil*, dicatur *Entitatis* cujuſvis *Negatio.* Cui tamen conveniat Definitio puncti, apud *Euclidem.* Cujus *Pars nulla* eſſe affirmatur, & *Materiæ primæ* apud *Ariſtotelem*, quod nec ſit *quid* nec *quale*, nec *quantum. Metap. l. 7. tex.* 8. Tam parùm *Definitiones negativæ* ſatisfaciant. Includitur interim in τὸ *Nihil*, Termini *a Quo* concepus, in iſta *Theſi* ex *Nihilo Nihil* fit. Quâ creatio a *Naturaliſtis* perperàm ſubvertitur.

7. *Privatio*, a *Nihilo* ſecernatur, quia *Reſpectum* includit ad peculiare aliquod *ſubjectum.* Ut *cæcitas*, *Oculi* eſt, non alterius *partis* in homine: unde licet *privatio* ſit non-*Ens*, aliquid tamen *Entis reſpectivi*, (utcunq; non *abſoluti*) in ſe retineat, quo τὸ *Nihil* penitus deſtituitur.

8. *Atomos*, quomodo *Democritus Abderita* omnium rerum naturalium principia eſſe ſomniaverit, videas apud *Laertium*, quos quam ridiculè poſtea *auxit*, & *propugnavit Epicurus*, oſtendit *Plutarchus* contra *Colotem.* Et transfigit ſparſim *Ariſtoteles*, quemadmodum & *In ipſius Vita.* *In Moralibus.*

9. *Ideas Platonicas*, in *Phyſicis*, *Ethicis*, & *Metaphyſicis* Iacob: Carpent: *in* Alcinoum.

taphysicis, aculeatiùs perstringit. Non desunt tamen qui moliuntur inter *Præceptorem, & Discipulum Reconciliationem*; Ut nihil aliud sit *Platonis Idea*, quam *Universale*, aut saltem Causa *Exemplaris Aristotelis*; de quibus prostant *prolixi* plurimorum *Tractatus*.

10. *Idola*, sunt profundissimæ Mentis humanæ Fallaciæ. Suntq; vel, 1. *Tribus*, 2. *Specus*, aut 3. *Fori*. Quę ingeniosissimè sic elucidat, Honoratissimus noster *Verolamius*, ut Idola *Tribus* sunt, ea quibus corrupta hominis *Natura*. *Specus*, quibus *personalis* cujusvis *Infirmitas*. *Fori*, quibus infecta ex prava consuetudine *Indoles* nimium multorum deluditur. Quæ singula tandem in *Non-Entia* evanescunt. Utcunq; autem vociferatur Satyrista

De Augm. scientiar. l. 5. c. 4.
Vid. de Specu Platonis de Repub. Diol. 7.

——— *Quantum est in Rebus inane?*

11. *Inanitates* tamen *physicas*, *vacui & spaciorum* extra cœlum imaginariorum, de quibus nugantur *Jesuitæ*; *Mathematicas Hypotheses* de motu *Terræ* Magnetico, & *cœli Excentricis* & *Epicyclis*, quin & *Politicas* de *Vtopiqnis*, *Lunæ* Incolis, & *Civitate solis*, passim observes. quæ ad prædicamentum *Non-Entium* Imaginarium solumodo referantur. quibus attexantur postremò

Prima Leo *postrema* Draco *medio ipsa* Chimera Lueret.

12. *Chimeræ*, *Legendarum*, *Romanciarum*, & *phantasmatum* consimilium anilium; talibus verò inter *Entia* locum concedere, esset cum *Ratione* prorsus *insanire*. Et sic a *Metaphysica Transcendentali*, ad *subordinatas* Rerum *Classes* descendamus.

QVÆST.

QUÆSTIONES.

An
1. *Metaphysici sit Tractare de* Non-Ente? Aff.
2. *Inter* Nihil & Aliquid *detur medium?* Neg.
3. ExNihilo, nihil fiat? Aff.
4. Ideæ & Idola *sint inter Entia numeranda? N.*
5. Logicis *Secundis* Intentionibus aliquid Entitatis *sit concedendum?* Aff.
6. *Idea* Platonis, *Sit Universale* Aristotelis? D.
7. Nihili *cognitio, Fons* omnium virtutum *aliquo sensu statuatur?* Aff.

FINIS.

HYPOMNEMATA PNEUMATICA per Heptades breviter *Disposita.*

CAP. I.

DE DEO.

1. TRANSCENDENTALIS PHILOSOPHIA, præcessit in *Metaphysicis*; sequitur *Prædicamentalis*, juxta *Themata* seu *subjecta* è *Prædicamentis* ante designata, ubi primatum tenet.

2. Πνευματολογία, *quæ est Doctrina substantias Incorporeas, sive Spiritus, cum ipsorum annexis, prout conceptum nostrum subeunt, distinctim explicans.*

3.

3. Hujus statuantur capita
- 1. *Deus.*
- 2. *Eudæmon.*
- 3. *Cacodæmon.*
- 4. *Anima separata.*
- 5. *Deastri.*
- 6. *Semidei.*
- 7. *Fatidici.*

4. *Deus*, est *Spiritus Infinitus*, *Optimus*, *Maximus*, *Æternus*, *Omnipotens*, *Actus purus*, *Immutabilis*, *Primum movens Immobile*, Cælorum & Naturæ δημιουργὸς, vitam degens *optimam* & *jucundissimam*. Phys. l. 8. de cœl. l. 1. Met. c. 12.

5. De quo *triplici vi-* *tâ* est Philosophãdum.
- 1. *Negationis*, removendo ab ipso omnes 1. *Multitudinis*, 2. *Loci*, 3. *Temporis*, 4. *Mensuræ*, 5. Et cujusq; *imperfectionis* limites.
- 2. *Eminentiæ*, qua *perfectio* interminata 1. *Scientiæ*, 2. *Sapientiæ*, 3. *Potentiæ*. 4. *Bonitatis*, 5. *Libertatis*, 6. *Immutabilitatis*, & 7. *Beatitatis* illi attribuitur.
- 3. *Causalitatis*, cum ipse 1. Omnium rerum *Creator*, 2. *Conservator*, & 3. *Gubernator* sit prædicandus.

6. Itaq; ipse est omnium rerum *causa*, *Efficiens*, *reficiens*, & *perficiens*, *productione*, *conservatione*, & *concursu*. &

7. In ipso *vivimus*, *movemur*, & *sumus*; Sumusq; ipsius *progenies*; ut Poetam *Aratum* citat *Apostolus*, Act. 17. 28. Nam *ex eo*, per *eum*, & in *ipsum*,

sunt *Omnia*. ipsi gloria in *seculo*, AMEN. Rom. 11. 36.

QUÆSTIONES.

1. *Pneumatologia sit disciplina peculiaris, à Metaphysica, & cæteris scientiis, distinguenda?* Aff. Cont. Thomist. Scotist. & Campanellam, & vulg. Metaphysic.
2. *Mysterium S. Trinitatis lumine naturali possit cognosci?* Neg. vide Morneum de Relig.

An
3. *Aliquid sit in Deo, quod non sit Deus?* N.
4. *Deus sit ubiq; per Essentiam?* Aff. Cont. Vorstium.
5. *Omnia sint Deo præsentia?* Aff. Cont. Socin.
6. *Deus ante Mundi Creationem alicubi fuerit, aut nunc sit in spatiis extra cœlum Imaginariis?* Consul. Vaquez. disput. 19.
7. *Particulatim concurrat ad quemlibet actum positivum?* Aff. Cont. A. Dola.

CAP.

CAP. II.

De Eudæmonibus ſivè Bonis Angelis.

1. SPIRITUS CREATI ſunt ὑφεσώματα, 1. *Finita*, 2. *Incorporea*, 3. *Immortalia*, 4. *Locis definita*, 5. Quæ corpora poſſunt *aſſumere*. 6. Quibus *triplex* accidit *cognitio*, 1. *Naturalis* per *ſpecies* inditas, 2. *Revelata* à Deo, 3. *Experimentalis* ex eventuum *obſervatione*. 7. Quorum eſt *certus* Deo, ſed hominibus numerus *incognitus*.

2. Suntq; vel { 1. *Eudæmones*. 2. *Cacodæmones*.

3. *Eudæmon* Angelus bonus, ſive *genius*, eſt *Spiritus* 1. In creata *integritate* permanens. 2. Creatori indivulſe *adhærens*. 3. Cujus juſſa *potenter*, & *promptè* exequitur, in quo conſiſtat ipſius fælicitas.

4. Omnes ſunt *natura*, pares; *officio*, diſpares.

5. Per tres *Hierarchias* vulgò (ſed temerè) diſponuntur, ſic ut in 1. Τπερχία collocentur *Cherubim*, *Seraphim*, *Throni*. 2. In Μεσαρχία *virtutes*

Virtutes, Archangeli, Angeli. 3. in ὑπαρχία, *Dominationes, Principatus, & Potestates.*

6. Varia ipsis assignantur nomina. 1. In *Scripturis* Canonicis; *Michael, Gabriel.* 2. In Apocryphis; *Raphael, Uriel, Jeremiel, Salathiel.* 3. Apud superstitiosos *Cabalistas Agrippam, & Trithenium,* infinita alia. 4. Quin & à *Scholasticis,* alii ex illis *Assistentes* Dei Throno, Alii *Ministrantes* certis provinciis, & hominum singulorum *custodiis* incertò designantur.

7. *Eudæmones* isti, in *Cacodæmones* obtinent Imperium.

QVÆSTIONES.

An
1. *Spiritus creati sint prorsus incorporei?* Aff. cum Scholast. cont. Patres quamplurimos: Psellum, & alios.
2. *Cognoscant singulare, intuitivè tantum, non discursivè?* D.
3. *Vera assumant corpora, in quibus appareant?* R. Aliquando sic, aliquando non.
4. *Plures possint esse in eodem loco definito, simul, vel unius in diversis locis?* Neg.
5. *Hierarchiæ istæ Areopageticæ aliquid tinniant solidi?* Neg.
6. *Certi Angeli certis provinciis, aut singulis hominibus custodiendis deputantur?* R. Pro certo affirmare non possim, *inq. Calv.*
7. *Superstitiosa sint ista, & Magica, quæ ab Agrippa & aliis, bonis Angelis affinguntur nomina?* Aff.

CAP.

CAP. III.

De Cacodæmonibus ſive Malis Angelis.

1. CACODÆMON, eſt *Spiritus nequam*, ſeu malus *genius*, à primæva integritate lapſus, Deo & omnibus bonis ἀντικείμενος adverſarius, infandum malitiæ *cruciatum* ſecum ſemper circumferens, donec in *abyſſum* ad æterna ſupplicia detrudatur.

2. *Ruinam* hominum & omnium *creaturarum*, quantum in ſe eſt molitur. 2. *Mentem* ſeducit. 3. *Corpora* obſidet, poſſidet, & variis modis *roborat*, & *excruciat* 4. ſenſus *faſcinat* & *ludificat*. 5. *Spectris* terret. 6. *Mendaciis* ſeducit. 7. Ad *deſperationem* & αὐτοχειρίαν adigit.

3. *Cauſas Naturales* ad *naturæ* interitum accommodat. 2. In *Angelum* lucis ſe transformat. 3. *Species* defunctorum induit, ut *inſtabiles* ad ſuperſtitionem pelliceat.

4. *Tempeſtates*, in aëre, *terra*, & *mari* (aliquoties Dei permiſſu) excitat, aut *excitatis* naturaliter ſe ad *nocendum* immiſcit. 2. Per *nomina Barbara*, *reliquias*, *ſignum crucis*, *annulos*, *annuleta*,

characteres, *aquam lustralem*, *salem*, *cereas Imaguncu-las*, & cæteras res *consecratas* ligari, & fugari se *simulat*. 3. Ad *Exorcismos*, *Empsalmos*, *suffitus*, & *aliquod* genus *Musices*, stationem suam deserere videtur.

5. Cum *Veneficis*, *Magis*, *Necromanticis*, *aliisq;* suis *Mystis*, *pactum* init: *Sanguine* plerunq; obsignatum. 2. A quibus postea, vel *seorsim*, vel *congregatis*, tributum, aut *cultum* tremendum exigit.

6. *Succubum*, aut *Iucubum* quibusdam suis fœderatis, fœdissimè se exhibere *perhibetur*. undè 2. *Deformis*, & *fatidicus* nonnunquam prodit proles, qualis putatur *Merlinus* nostras; & alii. 3. Ad *Sagarum* aliorumq; *Mystarum* obsequium, in *vicinos*, & ipsorum *peculia*, crebro nimis grassatur, & sævit.

7. De rebus 1. *Amissis*, aut *suffuratis* pronuntiat. 2. *Ambiguè* & *captiosè* de rebus futuris suggerit *oracula*. 3. Solitaria *loca*, aut *familias* superstitiosas infestat, & in omnes suos *infernalem* exercet *Tyrannidem*.

QVÆST.

QUÆSTIONES.

1. *Impossibile sit Diabolum resipiscere, ut cum Deo redeat in gratiam?* Aff.
2. *Diaboli, homines hic circumvenientes, & cætera conturbantes, infernales pœnas secum circumferant?* Aff.
3. *Possunt aërem turbare, inficere, & tempestates excitare?* Aff.

An
4. *Ars omnis quodcunq; habens cum Cacodæmone commercium, diabolica sit, & execranda?* Aff.
5. *Incantationibus, Exorcismis aut rebus consecratis, aut naturalibus, Dæmones ejiciantur?* Neg.
6. *In assumptis corporibus, Succubi fiunt, aut Incubi, ut ex tali coitu proles nascatur?* A. Zanch. Neg. Reginaldus Scot.
7. *Maleficium Maleficio liceat repellere?* Neg.

CAP. IV.

De Anima Separata.

1. ANIMA SEPARATA, est *Spiritus* ab informatione, corporis pro *tempore*, liberatus.
2. Non *extinguitur*, vel *dormit*. ut sic de *novo* fiat,

fiat, vel *resuscitetur*, in ultima resurrectione, sed 2. *Intellectum*, *voluntatem*, *potentiam*, *movendi*, & *agendi*, una cum *memoria* Intellectiva retinet. 3. Undè *felix* existit, aut *misera*, donec corpori proprio re-uniatur.

3. *Intelligit* autem non per *contemplationem* phantasmatum, sed τὰ νοητὰ simpliciter *intuendo*, vel *revelatione* communicata, unde *intuitiva*, potius quam *discursiva*, censenda est ipsius cognitio.

4. *Voluntas* ejus fertur ad *Intellectus ductum* in suum *objectum*, sine prævio *appetitu sensitivo*, undè mundanis hujus vitæ *illecebris*, aut *desideriis* non afficitur.

5. *Seipsam* potest movere; ut cæteri *Spiritus*, & extra se posita removere, sed *definitivè* tantum, ut ipsi convenit.

6. *Recolere* potest ea quæ hic in *carne* gesserit, ut *habitus acquisitos*, quos moriens retinuit, & in memoriæ Intellectivæ (quasi) mantica, secum asportat.

7. *Ordinario* non recedit à *fixo* ipsius post mortem *loco*, unde *apparitiones* istæ, inter *Papicolas*, *Monachos*, & eorum *gregales*, pernitiosæ censeantur *præstigiæ*, aut *dæmonum* seducentium *Ludibria*.

QUÆST.

QUÆSTIONES.

An
1. *Anima ſeparata à corpore, prorſus extinguatur?* Neg.
2. *Dormiat, nihil agendo uſq; ad diem Iudicii?* Neg. Cont. Socin. & R. O.
3. *Sit ſuppoſitum?* Neg.
4. *Nihil intelligat diſcurſivè?* D.
5. *Memoria teneat quicquid geſſerit in corpore?* D.
6. *Habitus quos acquiſivit in corpore, poſt ſeparationem in ea maneant?* D.
7. *Egredi ſoleat aut poteſt, à deſtinato ipſi receptaculo, intelligens quid hic rerum geritur?* Neg.

CAP. V.

De Deaſtris.

1. DEASTRI, ſunt Gentium μυθολογήματα, ſeu *Poetica figmenta*; quos invexit *Diabolus*, & *ſuperſtitioſorum* bruta *credulitas*.

2. Iſti vel
   1. Inveniuntur in *Scripturis*.
   2. Occurrunt apud *Poëtas*, & occæcatos *Ethnicos*.

3.

3. Nominatissimi in *Scripturis* sunt
1. *Moloch.*
2. *Baal.*
3. *Ashteroth.*
4. *Dagon.*
5. *Succoth Benoth.*
6. *Rempham.*
7. *Tammuz.*

4. *Moloch* (qui & *Milcom*, *Adramelech* & *Anamelech*) regem denotat, cui *filios* immolabant *Judæi* superstitiosi, vel ignem saltem transire fecerunt in *Tophet*, vallis *Hinnon*, unde *Gehenna* postea, *Inferni* nomen, est sortita.

5. *Baal*, *Bel*, *Belus* dominii *nomen*, in *Numen* multiplex apud varios abiit: hinc *Baal Zephon*, *Baal Peor*, *Beel-zebub*, *Baal Berith*, *Baalim*, insipientium *Judæorum*; & nomina *Balshatzar*, *Baladdan* apud *Chaldeos*, *Hannibal*, & *Asdrubal*, apud *Pœnos*, ortum duxerunt. Confer. *Drusium*, observat. *lib.* 10. *c.* 22.

6. *Ashteroth*, seu *Astarte*, *Chamos*, seu *Chemosh Sydoneorum* abominatio, sic dicta, vel quia *ovis* referebat *formam*, ut *Kimchi*; vel a victimarum *multitudine*, ut *Scaliger* vel à Lucorum umbraculis, quibus sacra illi peragebantur, æstimatur. vid. *D. Selden de Diis Syris*.

7. *Dagon*, *Philistæorum*, quem sub nomine ὠάννης sive *Owen*, è mari *Erithreo* emersisse, scribunt *Berosus*, *Apollidorus*, & *Polyhistor.* 1. *Biceps* erat, voce *humana*, *Piscis* cætera, nisi quod *caudæ* annexi videbantur, *pedes* humani. 2. *Frumen-*

tum

tum denotat, unde Philo-*Biblius*, *Dagon* ὃς ἐστὶν ἰχθύς; *Alii* à *Dag*, piſce deductum volunt. Quare coram arca concidens, *Rach Dagon*, tantummodo forma *piſciculi*, relicta eſt in eo, ut tradit *Kimchi*.

8. *Succoth Benoth*, non *gallinam* cum *pullis*, ſed *ſiccam* potius *Venerem* ingerit, cui apud *Babylonios* & *Pœnos*, virgines placentas, ut *Reginæ cœli* conficiebant, & funiculis *circumdatæ*, ad pudorem *advenis* proſtrandum, apertè in *fornicibus* ſedebant, 2. Huic pollutioni *Miphlatzeth*, reginæ *Maachæ Priapus*, erat affinis. 2. *Chron.* 15.

9. *Rempham* habebatur, quaſi *Raam Paam*, *Jupiter altitonans*, vel à *Repha* gigante, qualis *Hercules*, qui *Chiun*, *Choun*, vel *Gigon* alias dicitur. *Act.* 7.

Tammuz, idem putatur cum *Oſyride*, vel *Adonide*, quem planctu perſequebantur *fœminæ* ſuperſtitioſæ, apud *Ezech.* c. 8. 15.

10. *Qui occurrunt apud Poëtas Dii, Deæq;* ſpurciſſimi, ita non invenuſtè

Copulentur
1. *Saturnus*, cujus ſunt *Saturnalia*, & *Cybele*, deorum *mater*, habens *Turrigeras q; urbes, Bijugoſq; ad fræna Leones.*
2. *Jupiter*, juvans *pater*, & *Juno*. Lucina, parturientibus facilis.
3. *Mars*, *bellicus*, & *Venus*, illi quam *Vulcano* ſuo, pronior.

4.

4. *Apollo* luce, & *Pallas* prudenti fortitudine, celebres.
4. *Mercurius* fœcialis caduciator, & illi comes *Latoni filia*, in cœlis *Luna*, in terris *Diana*, apud *inferos Hecate*.
6. *Neptunus*, & *Amphitrite*, seu *Thetys*, aquarum præsides.
7. *Bacchus* vitibus, & *Æolus* ventis assignatus.

QUÆSTIONES.

An
1. *Moloch & Baal Orientalium, Saturno & Jovi Græcorum respondeant?* Aff.
3. *Judæorum filii actu fuerunt in Moloch concavitatibus combusti, vel coacti tantum in ipsius cultum, ignem transire?* D.
3. *Astarte sit venus, tam masculino quam fœminino generi?*
4. *Dagon emersit ex Syrenum spermate?* D.
5. *Succoth, Benoth, fuerunt potius meretricularum fornices, quam fornicantium Idola?* D.
6. *Tammuz, sit potius Ægyptiorum Osyris, quam Græcorum Adonis?* D.
7. *Dii gentium maxima ex parte, à depravatis veri Dei oraculis, duxerunt originem?* A.

CAP.

CAP. VI.

De Semidiis.

1. *SUnt mihi Semidei ſunt ruſtica numina Fauni,*
Et Nymphæ Satyræq́, & monti-colæ Sylvani,
qui cum plus quam homines finguntur eſſe, & non *Dii*, *Deaſtros* in præcedentibus meritò comitentur.

2. Hujus autem *ſubſellii* ſunt
1. *Heroes.*
2. *Fauni.*
3. *Satyri.*
4. *Nymphæ.*
5. *Genii.*
6. *Lares.*
7. *Penates.*

3. *Heroes* fuerunt viri *Nobiles*, & *Illuſtres*, qui rerum *geſtarum* magnitudine, id aſſequuti ſunt, ut per ἀποθέωσιν in deorum *album* erant relati. Quales fuerunt *Hercules*, & *Romulus*, quod refert *Papiſtica Sanctorum Canonizatio*.

4. *Fauni*, à *favendo*, vel ἀπὸ τῆ φωνῆς, duxiſſe putantur *originem*; Faunus erat *Pici* filius, & homines *feros* ad *mitiorem* vivendi traduxit *conditionem*. 2. Uxor ipſius dicitur *Fatua*, quæ *divinis* honoribus apud priſcos *Italos* afficiebatur,

Sylvanos,

Sylvanos, *Panes*, & *Satyros* fertur genuisse.

5. *Satyri*, ἀπὸ τῆς Σαθῆς, à *membro virili*, [vel à σαιρεῖν, *saliendo* videantur dicti, naribus *aduncis*, fronte *cornigera*, pedibus *caprinis*. vulgò picti *Antonio* talis in *Eremo* apparuit (teste Hieronymo in ipsius vita) qui fassus est se esse *mortalem*, & *Gentilium* errore, *Deificatum* de his *Ovid*.

Me Satyri celeres, sylvis ego tecta latebam,
Quæsierunt rapido turba proterva pede.

6. *Nymphæ*. 1. *Dryades*, sylvarum. 2. *Oreades*, montium. 3. *Naiades*, fontium. 4. *Napeiades*, saltuum. 5. *Nereiades*, maris, locum inter *Paganorum* semi-deas invenerunt, ἀπὸ τοῦ ἀεὶ νέας φαίνεσθαι, quod semper *juvenescunt*, forsan à *Nympha* muliebri, nimium excrescente in *Libidinem*. Hisce *Lillith*, Hebræorum, uxor *Adami* profuga, de qua illud (*Kutz Lillith*) & *Fayries* vulgo noti, meritò accenseantur.

7. E *Geniis*, à gignendo ductis, duos cuiq; à nativitate, *veteres* deputarunt, *Bonum* unum, alterum *Malignum*. Boni habebantur *Manes*, à *manendo*, & *Lemures*, post mortem *animæ vagantes*. Mali vero *Larvæ*, *Mormones*, *Empusæ* audiunt, qui *terrorem* occurrentibus injiciunt. 2. Genius Urbis Romanæ, *Romessus* vocabatur, cujus nomen à *sacerdotibus* non erat proferendum, ne *placaretur*, et ab *hostibus* abduceretur. *Broysard*,

8. *Lares*, dii *Familiares*, à *Lala* matre *loquaci* duxere prosapiam; quæ *Jovis* adulterium cum *Juturna*, *Junoni* prodidit; ideoq; inferis destinata, à *Mercurio Lictore*, in transitu erat *compressa*.

2.

2. *Papaverum* & *Allii* capitibus, vice puerorum, *Romani* illis sacrificabant.

9. Penates quasi *penes nos nati*, vel quasi *penites*, in domi *penetralibus* collocati, & occulti, *penu* tanquam *promi-condi* præficiebantur, unde ipsis sacrificiorum *vectigal*, juxta illud *Virgilii*

Quinquaginta intus famuli, quibus ordine longo,
Cura penum struere, & flammis adolere Penates.

Inter has *Vesta* recensetur, & de *Trojanis penatibus*, anceps est disputatio inter *Criticos*.

QUÆSTIONES.

An
1. *Canonizatio Papalis, ab* ἀποθέωσι *Paganorum sit mutuata?* Aff.
2. *Fauni, & Satyri fuerunt potius Eremi Monstra, quam Dæmones?* Neg.
3. *Iidem sint cum Ziim, & Ohim, & Shegnarim Hebræorum* Esa. 13. 31. Aff.
4. *Satyrus qui S. Antonio apparuit, fuit talis qualem se prædicabat?* Neg.
5. *Lillith, Nymphæ, Dryades, & hujusmodi, nil aliud fuerunt quam personati Diaboli?* Aff.
6. *Præstant Lares familiares, vel tutelares, illud quod cultoribus suis pollicentur?* Neg.
7. *Apollo, Neptunus, & alii dii majores, inter Penates sunt numerandi.* Neg.

CAP. VII.

De Fatidicis.

FATIDICI *Enthysiastæ*, seu *Magi*, sunt præcedentium *Deastrorum Holophantæ*, qui ipsorum servitio *mancipati*, & fœderati, multifariàm miseris imponunt mortalibus.

2. Ex hac sentina ebulliunt
1. Egyptiorum, *Magi*.
2. Chaldæorum, *Sapientes*.
3. Indorum, *Brachmannes*, & *Gymnosophistæ*.
4. Græcorum, *Vates*.
5. Latinorum, *Augures*, & *Aruspices*.
6. Ethnicorum omnium, *Oraculistæ*.
7. Christianorum, *Necromantici*, & *Exorcistæ*.

3. *Magi Ægyptiorum*, *Chocmah misraim* excolebant, de *qua Sixtus Senensis. Biblioth:* Lib. 2. & in qua *Moses* erat adprimè *Eruditus*, Act. 7. 22. 2. Mosi restiterunt *Jannes*, & *Jambres*, 2. Tim. 3. 8. 3. Hisce accenseatur *Balaam*, *Pseudo-*

propheta

propheta, Num. 23. 4. 4. *Hieroglyphicè* arcana sua exprimebant, (ut patet apud Pierium & *Sixtum Senensem*. 5. *Brittannia* nostra per *Dryides*, hoc delirio erat dementata. *Plin. Nat. hist. lib.* 30. *c.* 1.

4. *Chocmah Chasdim*, seu *Chaldæorum* sapientia, ab eodem *Six*: *Senense* ubi supra copiosè etiam delineatur: in qua *Daniel*, cum tribus *sociis*, erat versatissimus.

5. In hac corte nidificabant

1. *Chascedim*, ex astris *Genethliaci*.
2. *Asaphim*, *magi*, qui ex naturæ *cryptis* singularia quædam obtruserunt, ductoribus *Osthane*, & *Zoroastre*. Plin l. 30. c. 1.
3. *Chartumim*, *Incantatores*, Dæmonibus familiares; quos adjurationibus & *hostiis*, alliciebant in suum obsequium.
4. *Mesaphim*, *philtris*, & *pharmacis* nefanda sua molimina peragebant.
5. *Gazarim*, ex inspectis *extis*, & *Volatu avium* venditabant *auguria*.

6. Indorum *Brachmannes*, & *Gymnosophistas* adijt *Plato*, & *Apollonius Tyaneus*, ut longe petitam reportarent *stultitiam*; quam *Phraortes* & *Hyarchas* olim propagabant, hodieq; *Brammanes*, & Persæ instituo *Shaster* & *Zundavaste* conser-

vare putantur. Vide *Lordum* de *Bannianorum* Religione: & *Othonem* Heurneum de *Jndicis*.

7. E Græcis prodeunt vates { 1. *Mares.* / *Fœminæ.*

8. Inter Mares, eminent { 1. *Telemus Eurymedes.* 2. *Tyresias.* 3. *Mopsus.* 4. *Idmon.* 5. *Amphiaraus.* 6. *Thyodamas.* 7. *Chalcas.*

9. *Telemus Eurymedes, quem nulla fefellerat ales,* Hic prædixit *Polyphemo* suam occæcationem. vid. *Ovid. Met. l.* 13.

10. *Tyresias,*

Ille per Aonias famâ celeberrimus urbes,
Irreprehensa dabat populo responsa petenti.

11. *Mopsus*, erat *Argonauticus*, qui *Cholchidis* interfuit expeditioni, *Colophonensis* urbis fundator.

Nec tu credideris tantum cecinisse futura
Amphicidem Mopsum.

12. *Idmon*, extruxit per *Argum Architectum* ex roboribus *Dodonæis*, (quæ olim erant *vocalia*) navim *Argonautis*.

——— *Ad carum Tritonæ devolat Argum*
Moliri hanc puppim jubete——
Val. Flac. Argonaut. l. 1.

13

13. *Amphiaraus*, ab uxore *Eryphale* proditus, in bello *Thebano* à terra *absorptus*, periit.

14. *Thyodamas*, de quo *Statius*.

——— *qui cum arcana deorum*
Partiri, & visas una sociare solebat
Amphiaraus aves, tantæq́, haud invidus Arti,
Gaudebat dici similem, juxtaq́, secundum.

15. *Chalcas*, in bello *Trojano Græcorum* augur,
Numina prædixit sacris placando Dianæ,
Pergama & ante annos non ruitura decem.
à *Mopso* victus, in judicandis scrophæ *suculis*, dolore contabuit. quibus 1. *Tresmegistum*. 2. *Proteum*. 3. *Branchum*. 4. *Japega*. 5. *Helenum*. 6. *Jamblicum*. 7. *Apollonium Tyaneum Pythagoreum*, (quem cum *Servatore* componit nugator quidam *Hierocles*) *Boysardus* accenset.

16. E *Fœminis* celebrantur *Sybillæ*, à θίος, *Æolicè* Deus, & βυλὴ *consilium*, ac si diis fuissent in *conciliis* (inquit *Isodorus*) Origin. l. 8. c. 2.

17. *Phœbades* hujusmodi, incertò numerantur, & pinguuntur, ex fragmentis veterum. 1. *Delphica*. 2. *Erythræa*. 3. *Cumæa*, seu *Cumana*. 4. *Persica*, 5. *Lybica*, 6. *Samia*, 7. *Hellespontiaca*. 8. *Phrygia*, 9. *Tyburtina*, 10. *Epyrotica*, 11. *Ægyptiaca*, 12. *Colophonia*. habebantur istæ *lymphatæ* Ethnicorum *Apostolæ*, quibus si *Cassandram* addas *Trojanam*, & *Nicostratam*, sive *Carmentam Arcadicam*, duas *Heptades* efficies.

18. Latini *Augures*, & Aruspices, fuerunt 1. *Tages*, ex impresso sulco *subitò* emergens.

——— *qui primus Hetruscam*

Edocuit gentem casus aperire futuros.

2. *Actius Navius*, qui novacula cotem abscidit, apud *Livium*. 3. *Paliſchi*, è terra emerſi, *Siculorum*, & *Italorum* dii tutelares. 4. *Aruns*,

------ qui maximus ævo
Fulminis edoctus motus, venaſq; latentes
Fibrarum. 5. *Aſylas*,
Tertius ille hominum divumq; interpres Aſylas,
Cui pecudum fibræ, cæli cui ſydera parent,
Et linguæ volucrum, & præſagi fulminis ignes.

6. *Olenus*, ſive *Calenus*, qui ex *invento capite* in *capitolii* fundatione, *Romam* caput orbis *futuram* prædixit. 7. *Spurina*, qui *idûs Martias*, *Julio Cæſari* fatales præſagiebat. Cui occurrenti eodem die, Idus Martii venerunt ô *Spurina*, (inquit *Cæſar*:) Reſpondit *Ariolus*, ſed non *præterierunt*.

19. Oracula decantatiora inter Ethnicos, fuerunt
1. *Dodonæum*.
2. *Belinum*.
3. *Iovis Hammonis*.
4. *Themidos*.
5. *Trophonii*,
6. *Apollinis delphici*.
7. *Serapis*.

20. *Oraculum*, Jovis *Dodonæum*, juxta *Chaoniam* Epyrotarum, in querceto vocali, adjunctis aheneis *crepitaculis*, & *Tintinnabulis*, cum *columba* vocali, *reſponſa* ſuggerebat.

21. *Belinum*, quoddam erat *Oraculum* apud *Aſſyrios*, à quo, de *Imperio* & ſtirpis ſuæ *excidio*, reſponſa tulit *Septimius Severus* Imperator.

22.

22. *Oraculum* Jovis *Hammonis*, ſic dictum exiſtimatur, vel à *Cham*, *Noachi filio*; vel à *Sabulo*, & *arena Arabica*, unde *Alexandro* Magno & *Hannibali* aliiſq; ventura prædixit.

23. *Themis*, de reparatione *generis humani* per diluvium ſuffocati, *Deucalioni* & *Pyrrhæ* uxori, *Ovid.* præſcripſit remedium.

24. *Trophonius*, in *Lebadia Boëtiæ*, in antrum deſcendentibus, dabat reſponſa. Aſcendentes ſemper manebant ἀγέλαστοι, nunquam ridentes. *Apollonius Tyaneus*, ex *genio* hujus loci multa hauſit.

25. *Apollo delphicus*, ſeu *Pythius*, per *Phæbadas*, è *Tripode*, à *Pelope donato*, fundebat oracula.

26. *Serapis*, *Apis*, ſeu *Oſyris*, apud *Ægyptios*, *Tbulidi* regi conſuluiſſe dicitur

Principio Deus eſt, huic verbum & Flaminis aura,
Unum Numen idem tribus eſt, Natura & conſors.

2. Idolum hoc à *Theophilo Alexandrino Epiſcopo*, in fruſta comminutum, *latentes* expoſuit mundo *fraudes* Myſtarum *Diabolicas*.

27. Inter *Chriſtianos* adhuc hærent
1. *Necromantici.*
2. *Sagi.*
3. *Præſtigiatores.*
4. *Exorciſtæ.*
5. *Enthyſiaſtæ.*
6. *Aſtrologi.*
7. *Salvatores.*

28. *Necromantici*, ſunt qui 1. *Mortuos* excitant,

tant. 2. *Spectra* infestantia supprimunt. 3. *Dæmones* familiares in *vitris*, *annulis*, & *Periaptis* includunt, cæterisq; communicant. ab hac *Dæmonomonia*, immunes non fuisse traduntur *Lucas Gauricus*, *Cornelius Agrippa*, *Petrus de Abano*, & alii nimis multi, qui artem profitentur *Notoriam*, qua quisq; potest esse *doctissimus* per *expiationes*, & *adjurationes* sine omni *institutione*.

29. *Sagi*, *Veneficæ*, *Lamiæ*, *Stryges*, & *hujusmodi*, sunt *viri* quidam *superstitiosi*, sed præcipuè *fœminæ malitiosæ*, *curiosæ*, & *Melancholicæ*, à *Satana* dementatæ, qui-cum *fœdus* feriunt, & ab illo plerumq; *characterem* habent impressum, ut in *hominibus*, *brutis*, & aliis bonis *lædendis*, aut *perdendis*, ipsius utantur operâ.

30. *Præstigiatores*, *Agyrti*, *Mirabularii*, sunt *circumforanei* quidam *nebulones*, qui non sine admixto *fermento* dæmoniaco, miris *sensus* deludunt offuciis, & aliquid ultra artis *sphæram* plerumq; præstant.

31. *Exorcismi*, *sacrificulorum*, & *Monachorum*, sunt præ cæteris *cauponationes*, quibus *energumenos obsessos*, aut *possessos* spondent se liberare, & *domos infestatas* à *spectris*, *Lemuribus*, & *apparitionibus* immunes reddere.

32. *Enthysiastæ*, *raptus* jactant, & *extases*, quibus mira *indicant*, & *prædicant*, ad *simplices*, & *superstitiosos* illaqueandos.

33. *Astrologi*, *Genethliaci*, & *schematum erectores*, è cœlo fingunt se petere, quod ex *Orco* hauriunt; undè non minus *fallunt*, quam *falluntur*, & sub

artis

artis *sublimioris prætextu*, mundo imponunt.

34. *Salvatores* in se suscipiunt, *læsos* à cæteris omnibus *maleficis*, suis *Incantamentis* & *Empsalmis*, liberare: undè prodeunt *magica* ista vocabula *Podagræ*, *Odontalgiæ*, *Epilepsiæ*, aut morsui canis rabidi salutaria.

35. *Omnia* ista βδελύγματα, una cum *ventriloquis Tetarascopois*, & *Tartareis halitibus* sacra *Scriptura* Orco devovet.

Ab omnibus igitur hujusmodi Pedicis Diabolicis, liberet nos Dominus. Amen.

QUÆSTIONES.

An
1. *Sapientia Ægyptiorum, Chaldæorum, & Indorum, sit probanda?* Neg.
2. *Vaticinia, Græcorum, Vanicinia potius fuerunt quam Vericinia?* Aff.
3. *Oracula Sybillarum, sint supposititia?* R. videtur magna ex parte.
4. *In querceto Dodonæo arbores fuerunt vocales?* Neg.
5. *Ex causa aliqua naturali cessarunt oracula?* Neg.

6.

6. *Exorcistæ, Dæmonibus imperent, Sagi obsequantur?* Neg.
7. *Incantatores, sanantes sint adeundi, aut consulendi?* Neg.

Deo Spirituum, tam Invisibilium omnium, quam Visibilium Creatori, sit omnis Honor, Laus, & Gloria, in secula seculorum. Amen.

FINIS.

AD ETHICA PROLOQUIUM.

1. A *Physicis* ad *Ethica*, à *Theoricis* ad *Practica*, nativus fit progressus.

2. *Practica* ista ferè absolvuntur in
1. *Ethicis.*
2. *Oeconomicis.*
3. *Politicis.*
4. *Polemicis.*

3. *Ethica*, est *Prudentia*, ad Mores *Piè*, *Sobriè*, & *justè* instituendos.

4. Tradi autem potest & solet, vel
1. *Aphoristicè.*
2. *Dialogisticè.*
3. *Parabolicè.*
4. *Idealitèr.*
5. *Satyricè.*
6. *Scopticè.*
7. *Systematicè.*

5. *Aphoristicè*, præcipiunt *Solomonis* Proverbia, *Ben Sirach* Ecclesiastica, *Pirki Avoth* Judæorum

rum. *Apothegmata*, *Adagia*, *Emblemata*, & *Axiomata Græcorum*, & *Latinorum*. *Hiroglyphica Ægyptiorum*, quid ſit *ſentiendum*, *loquendum*, *agendum*, ut *felicitatis* apicem conſequamur.

6. *Diologiſticè* eadem inculcant *Platonici*, in *Academicis* & *Dramatici*, in *Theatris*, quo *familiariùs* admittantur, & *firmius* hæreant.

7. *Parabola*, docet ex aliis, nobis quod ex uſu ſiet. Receptiſſima fuit hæc inter *Orientales* Inſtitutiò, ideoq; à *Salvatore*, (ut *Judæis* familiaris) frequentius inculcata, ubi obſervandum *Parabolam* ab *hominibus*, & ipſorum *actionibus*, non à *Brutis* ſumi; ut *Æſopi* apud *Græcos*, aut *Locmanni* apud *Arabes* fabulæ, ſeu *Zoopædia*.

8. *Idealiter* repræſentat *Ethicam*, ſivè *paradigmaticè*, Uliſſes, *prudentis & fortis* viri apud *Homerum*, de quo *Poeta*

Horat. *Rurſus quid virtus, & quid ſapientia poſſit,*
Utile propoſuit nobis exemplar Uliſſem.

Quale eſt & illud *Æneæ*, apud *Virgilium*, *Cyri* apud *Xenophontem*, & in *Romantiis* (ut loquuntur) accuratiùs *concinnatis*, *proſopopœæ*, fictitiis *virtutibus*, & *victoriis* celebratæ.

9. *Satyræ*, acriùs *vitia* proſtringunt, & ad *virtutes* ſtimulant. Ita

-----Secuit Lucilius Urbem,
Te Muti, te Lupe, & genuinum fregit in illis.

Celeberrimi ſunt hic *Maſtigoferi Lancinatores*, *Horatius*, *Juvenalis*, & *Perſius*, quibus *Epigrammatiſtæ* aculeatiores, *Martialis*, *Ericius Cordus*, *Owenus*

Owenus noſter, & conſimiles *vergidemiæ*, acetum aliquoties vice olei ſuppeditant.

10. Ad *Scopticos* referamus. *Navem ſtultiferam, Grobianum* & *Grobianam. Mundum alterum, & eundem*, qui *Antiphraſticè* pro cruditate rudiorum, temperant docendi methodum. Atqui

11. *Syſtematica*, debet eſſe ingenuorum *Inſtitutio*, ſic comparata, & diſpoſita; ut nec multiplicatis *partitionibus* implicet, nec *regulis* congeſtis obruat, nec *digreſſionibus* abducat, nec *ſcrupulis* aggeſtis diſtrahat, nec *prolixitate* deterreat, nec *brevitate* minus tinctum dimittat. Sed ſic *doceat*, ut *delectet*; ſic *delectet*, ut *flectat*; ſic *flectet*, ut non altercantem *ſophiſtam*, ſed ſtudiosè *operantem*, Mundo exhibeat.

12. In tali autem *Inſtitutione*, cùm nimium vaganter *Platonici*, frontem corrugant *Stoici*, laſciviant *Epicurei*; *Peripatetica* diſciplina (prout ab *Ariſtotele* ad filium *Nichomacum* delineatur) potior viſa eſt *ſagacioribus*. Ad hanc igitur præcipuè, in ſequentibus conteximus *manuductionem*.

QUÆSTIONES.

An
1. *Ethica tantum petenda ſint ex Sacris literis?* Neg.
2. *Figmenta Poetica ad mores rectè Informandos conferant?* Aff.
3. *Ethica peripatetica ſit cæteris omnium Philoſophorum Inſtitutis, hac ex parte, præferenda?* Aff.

HYPOMNEMATA

Ethices Aristotelicæ, per Heptades disposita.

CAP. I.

De Fælicitate.

1. ETHICA Peripatetica, *est Doctrina, de Terrestri Fælicitate, per media Philosophica consequenda*; quam ut *summum bonum*, & *finem omnes appetunt*. Eth. l. 1. c. 2.

2. Hujus, *Iuvenis Idoneus Auditor* non est, nisi *affectus* comprimat, & ad *agendum*, æquè ac *discendum*, se componat. *ibid.* Nam

3. *Optimus est, sese qui novit cuncta Magistro,*
Ad finem usq; videns, quæ semper sunt meliora.
Proximus est illi, qui auscultat recta monenti.

At

At qui mentis inops, aliorum audire recusat
Consilia: abjectæ est telluris inutile pondus.
Hesiodus, apud Aristot. Eth. l. 1. c. 2.

4. Per cõpendium autem ad *septem* capita potest redigi, quæ sunt de
1. *Fælicitate assequenda.*
2. *Facultatibus informandis.*
3. *Affectibus moderandis.*
4. *Virtutibus Intellectualibus informantibus.*
5. *Virtutibus moralibus.*
6. *Virtutibus Homileticis.*
7. *Tranquillitate animæ in contemplatione satisfactoria.*

5. Fælicitas vero nõ invenitur in
1. *Divitiis, Cræsorum* aut *Crassorum.*
2. *Deliciis,* Epicureorum.
3. *Honoribus, Hamanorum,* aut *Seianorum.*
4. *Robore, pugilum,* aut *gigantum.*
5. *Pulchritudine, Ganymedum.*
6. *Apatheia,* Stoicorum, aut Cynicorum.
7. *Ideis otiosis, Platonicorum.* Confer. Arist. Eth. l. 1. c. 3. 4.

6. Sed est 1. *Actio virtutis perfecta in vita perfecta.* 2. *Donum Dei.* 3. *In se bonum sufficiens.* 4. *Honorabile,* potius quàm *laudabile.* 5. Bonis *animi, corporis,* & *fortunæ* suffultum, Confer. Arist. lib. 1. c. 5. & seq. Sic ut

7. Fælix, fit *homo quadratus*, ad quoſvis caſus, & *rotundus*, ad omnes *laudabiles* conatus. qui *videri* poteſt, (ſed licet inciderit in *Priami* calamitates) miſer eſſe non poteſt.

QVÆSTIONES.

An
1. *Omnia appetunt bonum?* Aff.
2. *Juvenis ſit idoneus auditor Moralis Philoſophiæ?* Neg.
3. *Veritas amicitiæ ſit præferenda?* Aff.
4. *Fælicitas recte deſcribatur?* Aff.
5. *Tria bonorum genera requirantur ad Fælicitatem?* Aff.
6. *Fælix ſit tàm homo rotundus, quam quadratus?* Aff.
7. *Fælix poſſit eſſe miſer?* Neg.

CAP.

CAP. II.

De Facultatibus Informandis.

1. Facultates informandæ ſunt
1. *Intellectus.*
2. *Voluntas.*
3. *Arbitrium.*
4. *Conſcientia.*
5. *Concupiſcentia.*
6. *Iraſcibilitas.*
7. *Ingenium.* Confer Ariſt. lib. 1. c. ult.

Ariſtot. Ethicor. l. 2. c. 3.

2. *Intellectus*, ratione illuſtratus, prælucet aliis facultatibus, ut *Pharus* virtutum *Intellectualium*, & gazophylacium.

3. *Voluntas*, cohibet ſuo ſinu, *virtutes* omnes *morales*, quas

4. *Arbitrium* applicat pro ſua *libertate*, & expendit *conſcientia*, ne cedant in ipſius *cordolium*.

5. *Appetitus concupiſcibilis*, & *Iraſcibilis*, ſuperiorum *ſubeunt* imperium, aut petulanter cum ignominia jugum *excutiunt*.

6. *Ingenium*, *ſolertiam*, *ſagacitatem*, & *docilitatem*, ſecum ducit comites. Hoc

7. Pro ratione *naturæ*, *rationis*, aut *Culturæ*, ſolet eſſe in variis *varium*, & *inventionis*, *apprehenſionis*, *memoriæ*, & *Judicii* ſeminarium probum,

bum, aut depravatum, Picolom. moral. grad. 2. c. 3. 4. 5.

QVÆSTIONES.

An
1. *Facultates animæ Ethicam ſubeant conſiderationem?* Aff.
2. *Intellectus eſſe poſſit virtutum ſedes?* Aff. Intellectualium non Moralium.
3. *Voluntas ſit magis libera quam intellectus?* Neg. Burid. in Eth. lib. 10. q. 1.
4. *Caſus Conſcientiæ quæ apud Ethnicos Ethicos occurrunt, ſecundum rectam rationem ſunt ſuo modo determinandæ?* Aff.
5. *Electio voluntaria ſit mediorum tantum, & non finis?* Aff. Burid. l. 3. q. 13.
6. *Operationes à violentia, metu, ignorantia aut paſſione, ſint habendæ involuntariæ?* A. Non ſimpliciter, ſed ſecundum quid, ſeu comparatè, quatenùs hoc, præ alio, volumus.
7. *Omnia cadant in deliberationem?* Neg. Non Impoſſibilia, nec Inſcrutabilia.

CAP.

CAP. III.

De Affectibus Moderandis.

1. FACULTATES Informandas excipiunt, *Affectus*, *perturbationes*, seu *passiones* moderandæ, juxta illud

Ira, furor brevis est, animum rege, qui nisi paret,
Imperat: hunc frænis, hunc tu compesce catenis.

2. Tales vulgo habentur
1. *Amor.*
2. *Odium.*
3. *Spes.*
4. *Metus.*
5. *Lætitia.*
6. *Tristitia.*
7. *Zelus.*

3. *Amoris* Passio, sic moderanda est, ut aliquis sit φιλόθεος, φιλαύτος, & φιλάδελφος, ut præscribit *recta ratio*. Sed de *amore noxio*, & *lascivo* profiteatur

Nescio quid sit amor, nec amo, nec amor, nec amavi,
Hoc scio, quisquis amans, uritur igne gravi.

4. *Odium*, sic cohibendum est, ut in *mala* tantum, & *turpia*, virus evomat: Odi *prophanum vulgus*

& *arceo*. nec illud arripiendum

Si quis me lædit, nunquam de mente recedit.

5. *Sperat infestis, metuit secundis, alteram sortem* bene *præparatum* pectus; nec *impossibilibus* inhiat, nec ad strepitum cujusvis *folij* resilit.

6. *Lætitia*, non *lasciviat*, ad levitatem: nec *tristitia*, deprimat, in *animi*, *corporis*, aut *conditionis*, gravius detrimentum.

7. *Zelus*, se exerit in ἐπιχαιρηκακία, seu lætitia, ex alterius *malo*. 2. νέμεσι, indignatione, ob *immeritum* alterius *bonum*. 3 ζηλοτυπία, furore, ob *propria communicata*. Ubi ζηλοτυπία non sæviat ultra *modum*, nec *fœnum* gerat in *cornu*, ne sibijpsi, potius quam alijs, noceat. *Zoilismus*, est quivis *Zelus* non secundum scientiam. *Rom.* 10.

Arist. l. 2. c. 7.

QUÆSTIONES,

An
1. Passiones *sint* tota sua latitudine *pravæ?* N. Cont: Stoicos.
2. *Tria tantum sint humanarum actionum* Principia, *nempe* potentia, *passio*, & *habitus*? A. Casus.
3. *Constet inter* Doctores *de perturbationum* numero? N.
4. *Aliqua* φιλαυτία *sit laudanda*? A.
5. φιλαδελφία *sit extendenda in* mortuos? Aff.
6. *Aliquis possit odio habere* seipsum? Neg. Aq. 1. 2. q. 29. art. 4.
7. *Dolor auferat facultatē addiscendi*? Aff. Aq. 1. 2. q. 37. art. 1.

CAP.

CAP. IIII.

De Virtutibus Informantibus, & 1°. de Intellectivis.

1. VIRTUS, est *habitus* non a natura insitus, sed ab *Educatione*, *industria*, & *usu* acquisitus; qui facultates animæ ad *fælicitatem* efformat, & passionibus moderamen adaptat.

2. Estq; vel { 1. *Intellectualis*. 2. *Moralis*. 3. *Homiletica*.

3. Virtutes Intellectuales sunt { 1. *Ars*. 2. *Scientia*. 3. *Prudentia*. 4. *Sapientia*. 5. *Intelligentia*. 6. *Opinio*. 7. *Fides*.

4. *Ars* est *habitus* cum vera ratione cojunctus, ad efficiendum *idoneus*. cui *imperitia* opponitur, & *præcipitantia*, Eth. l. 6. c. 3, 4.

5. *Scientia*, est conclusionum necessariarum in *Theoreticis*. 2. *Prudentia*, utilium, & pertinentium in *Practicis*. 3. *Sapientia*, tam principia, quam conclusiones expendit. 4. *Intelligentia*, principia tantum amplectitur. Talibus autem destitutum, neq; *fossorem*, neq; *aratorem*, neq; *sapientem*, *ulla in re alia*, *deus* si *atuerit*. Eth. lib. 6. cap. 3.

6. In *Opinione*, ex *Probabilibus* sic statuendum est, ut ad *firmiora* allata, ingenuè mutemus sententiam, *absq;* obstinata *protervitate*, aut sophistica *tergiversatione*.

7. Fidem faciunt *rationalem*, testantium authoritas; *Fide* igitur, sed *cui vide*. Non minus tamen *peritis*, *prudentibus*, & longo usu *instructis*, quam *demonstrationibus*, in *rebus ignotis*, attendendum & obtemperandum. Suadet. *Philosophus* Eth. l. 6. c. 12.

QUÆST.

QUÆSTIONES.

An
1. Virtutes *insint a Natura*? N.
2. Virtutes Intellectuales, *prius sint tractandæ, quam* morales? A. *Goclen:*
3. Sensus, Appetitus, & Intellectus *sint omnis* veritatis & actionis *principia?* A.
4. Prudentia *per* rectam rationem, *omnes actionum circumstantias*, quis, quid, ubi quibus auxilijs, cur, quomodo, quando *rite determinet*? A.
5. Habitu Intellectualium *prorsus destitutus, possit esse Fœlix*? N.
6. *Opinio*, Virtutibus Intellectualibus *recte accenseatur*? A.
7. Peritorum Testimonia, *æq. ac demonstrationes, fidem faciant?* Aff. in rebus obscuris.

CAP. V.

De Virtutibus Moralibus.

MORALES VIRTUTES preficiunt, quas supponunt *Intellectuales.*

Est autem *Virtus Moralis*, *habitus voluntatis acquisitus*, in *medio* potius *consistens Geometrico*, quam *Arithmetico*, ab *extremis declinans*, & ad *bonas actiones* semper *inclinans*. Ergo

2. *Excessu*, & *defectu* labefactatur, & *scienter*, *prudenter*, & *constanter*, agendo, *perficitur* & *promovetur*.

3. Ejus species eminentiores sunt
1. *Prudentia*.
2. *Justitia*.
3. *Fortitudo*.
4. *Temperantia*.
5. *Liberalitas*.
6. *Constantia*.
7. *Synceritas*.

4. In *Prudentia*, 1. omnes aliæ *Virtutes* sunt connexæ. 2. *Intellectum* moderatur, & præcipuè *passionibus* omnibus frænum injicit. 3. Sic *Justitia* voluntatem. 4. *Fortitudo* Irascibilem, 5. *Temperantia* concupiscibilem. 6. *Liberalitas*, bona Fortunæ. 7. *Constantia*, & *Synceritas* singula corporis, & animi bona, sarta tecta, intra rationis limites cohibent.

5. *Prudentia*, *imprudentiam*, sive *stuporem* excludit, & *temeritatem*. 2. *Justitia*, *neglectum*, & *injurias*. 3. *Fortitudo*, *timorem* & *audaciam*. 4. *Temperantia*, *sordes*, & *delicias*. 5. *Liberalitas*, *Prodigalitatem*, & *avaritiam*. 6. *Constantia*, *levitatem*, & *obstinationem*. 7. *Synceritas*, *Tergiversationem*, & *Hypocrisin* eliminat.

6.

6. Per *Juſtitiam univerſalem*, politicis omnibus *legibus* præſtatur *obedientia*. 2. Per *particularem*, *diſtributivam*, νομικῶς & κατ' ἀναλογίαν geometricè proportionalem, ſuum cuiq; tribuitur: nempè *obedientia* ſuperioribus; *gratitudo* Benefactoribus; *Laus* benemerentibus, *jus* innocuis, *ſubſidium* miſeris. 3. Per *commutativam* vero, cujuſlibet *pactionis* contractus, ſecundum proportionem *Arithmeticam* diſponitur. Ariſt. Eth. lib. 4.

7. Iſtæ *virtutes*, ſi eminenter in quopiam conſpiciantur, *heroicæ* audiunt. Sic *magnificentia*, in ſumptibus *regalibus*, ſine *luxu*, aut *parſimonia*, honorificè effundendis. 2. *Magnanimitas*, in maximè *arduis* & *excelſis* aggrediendis, & abſq; timore, & tremore perficiendis. 3. *Martyrium*, in morte obeunda, pro fide aut *bono publico*, aut ad infamiam non ferendam, emoliendam, liberalitatis & fortitudinis exuperant cancellos.

QVÆSTIONES.

An
1. *Virtus conſiſtat potius in medio Geometrico, quam Arithmetico?* Aff.
2. *Exceſſu & defectu labefactetur virtus?* Aff.
3. *Prudentia reſpectu vario, habeatur virtus intellectualis & moralis?* Aff.
4. *Injuria, damnum, & peccatum ſint legum cauſæ?* Aff. Caſ.
5. *Prodigus, ſit deterior avaro?* Neg.

6. *Voluptati, ſit difficilius reſiſtere, quam Iræ?* Aff.
7. *Fortitudo, conſiſtat potius in ferendo, quam feriendo?* Aff.

CAP. VI.

De Virtutibus Homileticis.

HOMILETICÆ virtutes ſunt, quæ *converſationem* noſtram cum *aliis*, tam in *dictis*, quam in *factis*, gratam, & ratam reddant. *Ariſt. Eth. l. 4. c. 4. 12.*

Tales ferè ſunt ſeptem,
1. *Philotimia.*
2. *Miſericordia.*
3. *Hoſpitalitas.*
4. Εὐτραπελία.
5. *Amicitia.*
6. *Veracitas.*
7. *Gratitudo.*

1. *Philotimia*, τὸ πρέπον, Decorum ſemper obſervat, inter *ſcandala*, & propriæ exiſtimationis *neglectum*.

2. *Miſericordia*, miſeros reſpicit, inter *nimiam indulgentiam*, & *feritatem*.

3.

3. *Hoſpitalitas, adventantes* commodè excipit, non *morosè*, nec ad *oſtentationem*.

4. *Eutrapelia*, urbanitate quadam ingenuâ, & *Charientiſmo*, cum aliis verſatur, abſq; ſcurrilitate, aut *ruſticitate*.

5. *Amicitia*, inter *binos*, & *bonos*, mutuam colit dilectionem, ab *adulatione remotam*, & *inconſtantia*.

6. *Veracitas*, veritatem ſemper aſtruit, abſq; *æquivocatione*, *ſimulatione*, aut *mendacio*, quibus omnibus coronidem imponit.

7. *Gratitudo*, omnibus *benefactoribus*, abſq; *tergiverſatione*, aut murmure. Nam ſi *ingratum* dixeris, *omnia* dixeris.

QVÆSTIONES.

An
1. *Honorem ambire liceat?* Aff. Alſted.
2. *Miſericordia ad omnes miſeros ſit extendenda?* Neg.
3. *Hoſpitalitas otioſis, nefariis, hæreticis, & Schiſmaticis ſit præſtanda?* Neg.
4. *Jocari liceat?* Aff. Caſus.
5. *Amicitia ſit tantum inter binos & bonos?* Aff.
6. *Æquivocatio Ieſuitica ſit ferenda?* Neg.
7. *Officioſum mendacium ſit probandum?* Neg. Aug.

CAP.

CAP. VII.

De Tranquillitate Animæ, in contemplatione satisfactoria.

1. PER *varios* casus, per tot *discrimina rerum* perducunt hæc *media* præcedentia, ad *optatum* tranquillitatis *portum*, in *contemplatione satisfactoria*; Quæ quidem Εὐθυμία, seu animæ tranquilitas, est omnium *facultatum*, *affectuum*, & virtutum, *harmonica congeries*.

2. Hujus *Comites* individui sunt
1. *Voluptas honesta.*
2. *Profectus assiduus.*
3. *Alacritas expedita.*
4. *Intentio, attenta rei præ manibus.*
5. *Contentatio; in data sorte.*
6. *Communicatio boni adepti, cum aliis.*
7. *Expectatio, per mortis transitum, futuræ Immortalitatis.*

3. *Voluptas honesta*, inter mundi *neglectum*, & *contemptum*, est hujus tranquillitatis *fructus*, & *condimentum*.

4. Quam excipiunt *profectus assiduus*, & *expedita alacritas*, ex rei *dulcedine* allecta, & *erecta*.

5.

5. Ista non morentur ἀλλοτρία, & πολυπραγμοσύνη, quia cui satis est, & *sufficit*, hic *nihil amplius optat*.

6. Id agit etiam *talis*, ut bonum ipsius sit *diffusivum*, & non *sibiipsi*, sed *Patriæ*, *amicis*, & *Reipublicæ* inserviat.

7. Postremo cum talis εὐδαιμονέστατος sit θεοφιλέστατος, non dubitandum est illum Deo *curæ esse*, ut *gratuitis præmiis* illum post mortem afficiat. *Eth. lib. 1. c. 9.*

QUÆSTIONES.

An
1. *Voluptas mentis sit perfectissima?* Aff.
2. *In habitu potius quàm affectu, vel ludo consistat fælicitas?* Aff.
3. *Vita contemplativa sit activâ potior?* Aff.
4. *Fælicitas quævis terrena, animæ desiderio in hac vita satisfaciat.* Neg.
5. *Beatitudo habita possit amitti?* Aff. Aq. 1. 3. q. 5. art. 4.
6. *Virtutes maneant in anima separata?* Aff.
7. *Aristoteles beatitudinem aliquam post hanc vitam agnoverit?* Aff. *Goclen. q.* 100. Casus Eth. 10.

FINIS.

HYPOMNEMATA

Oeconomica, ad Methodum Ethices antecedaneæ, accommodata.

TRACTATUS I.

De mutuo inter Patrem & Matrem-familias vinculo.

1. OECONOMIA, est *Disciplina*, quæ de rebus domesticis, *piè*; *providè*, & *prudenter* administrandis, pro cujusq; *statu*, aut *conditione*, præcepta *generatim* delineat.

2. Vitæ ista *conditio* potest esse, vel 1. *Ecclesiastica*, Sacris consecrata. vel 2. *Politica*, sub qua *Aulica*,

Aulica, & forenſis *Judicatoria*. vel 3. *Polemica*, quovis modo militaris. vel 4. *Colybiſtica*, Mercaturæ mancipata. vel 5. *Mechanica*, tam nota, quam neceſſaria. vel 6. *Academica*, ſub qua *Scholaſtica*, Adoleſcentium educationi ſepoſita. vel 7. *Georgica* demùm, *Paſtoritiam* includens, una cum *Apum*, *vinearum*, *vivariorum*, *Horarum*, & *Piſcinarum Cura*, & *Cultura*.

3. In hiſce omnibus obſerventur,

1. *Perſonæ*, familiam conſtituentes.
2. *Officia*, à *perſonis* mutuo præſtanda.
3. *Poſſeſſiones*, pro officio tractandæ.
4. *Poſſeſſorum*, Adminiſtrandi Ratio.
5. *Adminiſtratorum*, *Conſervatio*, & *Amplificatio*.
6. *Opulentiæ*, *diminutio*, & diſſipatio.
7. *Diſſipatorum Inſtauratio*, & *ſtatus* quaſi *Redintegratio*.

4. Familia ſaltèm *perfecta*, (ubi *viduitas*, *orbitas*, *ſterilitas*, *paupertas*, aut alia *calamitas* non ponit obicem) *quatuor* ad minimum, conſtat *perſonis*, ut *Collegium* tribus, *Respublica* quindecim; inter quos *ſocietas* ſic ineatur, ut ex conjunctione *æquabili*, non *æquali*; in functione legittima, *munerum* & *onerum*; *dominari*, nil aliud videatur,

videatur, quàm aliorum commodis *inservire*; & *obsequi*, tantum *sequi*.

5. *Personæ* familiam perficientes, in triplici coalescunt *vinculo*, { 1. *Conjugali*. 2. *Parentali*. 3. *Herili*.

6. Vinculum Conjugale, est inter *duos* tantum, *virum* & *Fœminam*, quod *Basis* statuitur erigendæ, & propagandæ familiæ, juxtà illud

Οἶκον μὲν πρῶτα γυναῖκα θοῦν ἀροῆα.
Sit tibi primà domus, tum conjux, bos & arator.

7. Ad *conjugium* fœlicitandum, requiruntur inter cultiores nationes { 1. *Sponsalia*. 2. *Nuptiæ*.

8. *Sponsalia*, futuras tantùm spondent *nuptias*, vel *conditionatè*, verbis de *futuro*: ut *accipiam* te in *uxorem* si.---unde conditione non præstitâ, fiant irrita. vel *verbis* (ut loquuntur) de *præsente*. Te accipio] & ita à nuptiis non videntur quoad *essentiam* differre; sed tantum quoad, *publicationem*, *obsignationem*, & *solennitatem*.

9. *Nuptiæ*, sunt *conjunctio individua* à Deo *instituta*, *unius* maris & fœminæ, eorumq; *puberum*, & *legittimè* consentientium, *Fornicationis* evitandæ, *liberos* procreandi, aut mutui adjutorii causâ: quod liberiùs aliqui exprimunt, Propter *opus*, *opes*, *opem*. Itaq;

10. *Polygamia Turcica*, aut conjugium *impuberum*, vel non *consentientium*, vel consentientium *non legittime*, in gradibus *prohibitis*; aut *parentibus*,

parentibus, aut qui ipſorum loco ſunt, reclamantibus; nullo modo ſunt probanda. quia

1. 2. 3. 4. 5.

11. *Immatura pubes, vis, fraus, ligamen, honeſtas.*

6 7.

Si ſit *affinis*, ſi forte coire nequibis.

Hæc *ſocianda vetant* connubia, *facta* reſcindant. Unde *Sponſalium*, contingat *Repudium*; *Nuptiarum*, *divortium*. quæ *familiis* pleruniq; (aliàs optimè inſtitutis) *ruinam* accelerent.

12. *Conjugium* igitur fœlicitèr initurus, ſit *Fabius* potius *Cunctator*. quam *Papyrius Curſor*, aut πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς, quia utcunq; *Tu ſis mea, & ego ſum tuus*, ſit Brevis (ut ſuſpirat quidam) *Cantiuncula*, Longum tantum habeat *Epiphonema* &

Deſinat in piſcem mulier formoſa ſuperne.

13. *Uxor* ergo non eſt inſubidè *rapianda*, aut *triviis*, *foro*, aut *ſcena*, præcipitantèr rapienda, *diſparis* fortaſſe *profeſſionis*, *ætatis*, *proſapiæ*, *ſtatus*, *Temperaturæ*; ſed conſultiùs (cæteris paribus) ducenda potius *virgo*, quam *Vidua*, ingenua quam ſplendida, modeſta quam *magnifica* aut *magniloqua*, ex notæ potius probitatis *ſtirpe*, quam ex recentiori *ceruſſa*, aut diſciplina *prædicantica*, quam commendant potius *Pietas*, *Caſtitas*, & peritia *œconomica*, quam *dos* aut *forma*, aut *Artium*, aut *Linguarum phalaræ*.

14. Vinculum *patrium*, eſt inter *Parentes* & Liberos *Naturæ* Lege ſic ſancitum, ut homines

necesse est tales exuant, qui illud eunt dissolutum.

13. *Herile* verò, inter *Dominum* & *Servum*, Laxius videtur *ligamen*, quod *justis* de causis potest *solvi*, cum *Pastor ovium*, in *Pastorem Populorum* transeat, imperet illi, justo titulo, cui anteà serviebat.

QUÆSTIONES.

An
1. *Oeconomia potius praxi, quam præceptis sit tradenda?* Aff.
2. *Sponsalia necessariò debent esse nuptiis prævia?* Aff.
3. *Cælibatus Conjugio, sit præferendus?* N.
4. *Communitas Uxorum Platonica sit probanda?* Neg.
5. *Polygamia sit licita?* Neg.
6. *Dissensus parentum irritas faciat Nuptias?* Neg.
7. *Gynæcocratia Uxoris in Maritum sit ferenda?* Neg.

TRACT.

TRACT. II.

De Officiis à Perſonis mutuò præſtandis.

1. CONCORDIA parvæ res creſcunt, *diſcordiâ* dilâbuntur niſi igitur *Vir* & *Uxor*, *Parentes* & *Liberi*, inter ſe (ut par eſt) conveniant, non diù duratura eſt iſta *Oeconomia*. *Mat.* 12.25.

2. Officia ergo *reciproca* inter *Maritum* & *Uxorem*, hęc ſacroſancta ſint. 1. Ut *Maritus* Uxorem præ cæteris omnibus *charam* habeat. 2. Unicè *illi* & conſtanter adhæreat. 3. Ipſius *infirmitates* ſanet potiùs *lenitate*, quam rigiditate exagitet. 4. *Victum*, *veſtitum*, & *ornamenta*, (pro conditione) libenter ſuppeditet. 5. *Authoritatem* in *Liberos*, *Famulos*, & *Ancillas*, moderatam, & debitam concedat illi, & tueatur: Ut ubi tu ſis *Caius*, illa habeatur *Caia*. 6. *Gynicæum*, & negotia *muliebria*, illius permittat *Directorio*, & 7. *Xantippantem*, aut alias ferocientem, *oleo* potius, quam *aceto*, ad *ſanitatem* revocare ſatagat. *Oeconom l. 1. c. 3.*

3. *Uxor* omni conatu & ſuavitate, 1. Viro ſe *amabilem* præbeat. 2. Mores ipſius obſervet, & quantum (*Religione* inviolata) liceat, ejus ſe *ſalvæ* accommodet. 3. *Infamiam*, *Intemperantiam*,

rantiam, aut *lapſus* alios ipſius *illiberales*, & *enormes*, patientèr *reticeat*, & prudentèr apud exprobrantes *excuſet*. 4. Palàm ipſum non corripiat, aut mordaci fricet *ſale*, ſed clàm & ſobrium (ut *Abigail Nabalem*) tempeſtivè admoneat. 5. *Precibus* Deo aſſiduis, pro ipſius *incolumitate* intercedat. 6. Quæ *palato* ipſius animadvertit, vel *genio* præcipuè facere, ſive in *victu*, aut *amictu*, aut aliàs, ſolicitè præparet & ſuppeditet. 7. *Conſanguineos* & *amicos*, quos noverit illum *amare*, benignè accipiat, quos oderit non *familiaritèr* utatur.

Sic erit illa ſedes, ſine fumo & fraudibus Ædes.

4. Ex vinculo inter *Maritum* & *Uxorem*, prodit inter *Parentes & Liberos* colligatio. ubi primò junctim, *deinceps* ſeorsìm, *munus* utriuſq; eſt deſpiciendum.

5. Junctim, *Parentes* tenentur *Liberos* 1. *Teneriores* enutrire. 2. De rebus neceſſariis & commodis, quoad *victum*, *veſtitum*, & *ſuſtentationem*, pro ſtatu & conditione illis proſpicere. 3. Pro captu unumquemq; *inſtituere*, *dirigere*, *diſponere*. 4. Exorbitantes *retrahere*, *corripere*, *corrigere*, non ſtatìm *abdicare*, aut *exhæreditare*. 5. Adultiores, pro genio, et ingenio, certæ alicui vitæ conditioni providè *deſtinare*, & *elocare*. 6. Non *parſimonia* aut *torvitate* morosâ ad indigna cogere. Aut 7. *Indulgentiâ* nimiâ, aut domeſtico pravitatis *exemplo*, nequitiæ feneſtram illis aperire.

6. *Seorsìm*, *Pater*, filiorum adultorum præcipuam

puam gerat curam; *Mater*, filiarum. 2. Mater *Infantes* (si fieri potest) lacte non *conductitio*, sed proprio enutriat. 3. Et una cum *lacte*, sensum (quem potest) *divini cultus* instillet. 4. *Pater* pubescentes elocet *foras*, et disponat, aut *domi* ita retineat, ut nullatenùs torpescant *otio*, vel *Aleâ*, *vino*, *venere*, in *Bruta* degenerent. 5. *Pensum*, & *stipendium* filius à *Patre* accipiat, & *dotem* filia, præter addita à *Gynæceo* per matrem *Paraphernalia*, qualem providam *Matrem-familias* alphabeticè habes delineatam, à *Regum* sapientissimo *Prover*. 31.

7. *Liberi* junctìm, exhibeant *Parentum*. 1. *Personis*, Reverentiam. 2. *Jussis*, obedientiam. 3. *Indigentiæ*, pro facultatibus promptum *subsidium*. 4. Senectutis ipsorum *defectus* & *nuditatem*, debito tegant vestimento, *ciconiam* referentes. undè decantatum illud apud *Antiquos* ἀντιπελαργεῖν, *Pietatis* Liberorum in *Parentes*, *Symbolum*, & *Senarius*,

Ἱκανῶς βιώσεις, γηροβόσκων τοὺς γονεῖς.

Vivax eris senes parentes confovens.

5. Mutuam interìm inter se alant *concordiam*, & impetentib. *alienigenis* unanimes se opponant.

8. *Seorsìm* vero, si simultates, rixæ, aut schismata; (quod nimiùm sit) inter se aboriantur, *domestico* potius se sistant *arbitrio*, quàm sub forensi tribunali malevolorum experiantur ludibria.

9. *Herile vinculum*, inter *Dominum* & *Servum*, *ex pacto*, *pretio*, aut *captivitate*, non ex naturæ

Plin. Nat. Hist. l. 10. c. 18. Homer. Iliad. 4. Aristoph. in Avibus.

nexu, ducit *originem*, utcunq; alios ad *onera*, alios ad *honores*, natura videtur efformasse.

10. Servi autem tales solent esse, vel ἐπίτροποι, *curatores*, aut *Inspectores* (ut distinguit *Philosophus*) vel ἐργάται. *operarii*, qui non tantum *Dominis*, sed ab iis præpositis, subjiciuntur. Oecon. l. 1. c. 4.

11. In horum delectu, 1. *Aperti*, suspectis. 2. *Periti*, imperitis. 3. *Verecundi*, confidentibus. 4. *Tenaces*, prodigis. 5. *Alacres*, stupidis. 6. *Molliores*, Robustis. 7. *Taciturni*, *Responsatoribus* sunt præferendi.

12. Ubi *Dominus* tenetur, *pensum*, *cibum*, *potum*, *mercedem*, honestè, opportunè, & alacritèr præbere. 2. Infidos, ὀφθαλμοδούλους, scandalosos, observare, castigare, eliminare. 3. Diligentes, constantes, circumspectos, animare et præmiis afficere. 4. Debitas illas sportulas, et *Relaxationes* laboribus attritis indulgere. 5. Non nimiam cum ipsis familiaritatem exercere, sed *hastâ* potius (ut habet quidam) quàm *pugione*, cum illis in arenam descendere. 6. Non plures alterius *nationis*, in suam *familiam* admittere. 7. *Jurandi*, *mentiendi*, aut *calumniandi*, non ferre quosvis prætextus impunitos.

QUÆST.

QUÆSTIONES.

An
1. *Marito liceat Uxorem flagris castigare?* N.
2. *Æquum sit ut parentes potestatem vitæ & necis in Liberos obtineant?* Neg.
3. *Patri potius imperanti, quam matri interdicenti, in re ancipiti sit obtemperandum?* Aff.
4. *Liceat parentibus prolem exponere, vel abdicare?* Neg.
5. *Fratribus potius quam sororibus, eodem discrimine periclitantibus sit succurrendum?* D.
6. *Aliquis sit servus à Natura?* Neg.
7. *Omnis Captivus fiat servus?* Aff.

TRACT. III.

De Possessionibus pro Officio tractandis.

1. TRIPLEX *vinculum* haud facilè solvitur, sed quid valent in Familia *Personæ*, reciprocis *officiis* (ut præmittitur) invicèm colligatæ, si *Possessiones* ad manum non sint, in quibus impendant *operam*, & indè fructum percipiant?

Nam genus & virtus, nisi cum re, vilior Alga est.

De hisce igitur, *tertio* in loco est, despiciendum.

2. *Possessiones* ab *Oeconomo* nostro, *habendæ* & *tenendæ* possunt esse, vel

1. *Ædificia.*
2. *Supellex.*
3. *Subdiaria.*
4. *Vivaria.*
5. *Georgica.*
9. *Pastoralia.*
7. *Reditus.*

3. Ad *ædificia*, referantur 1. *Domus*, in qua habitandum ad *Aeris*, *Aquæ*, *Lignorum*, & cætera *Cæli*, & *Solis*, commoda prudentèr collocata. 2. *Horrea* ſarta tecta. 3. *Granaria* circumſpectè purgata, & munita. 4. *Galacticinia* ſolicitè conſervata. 5. *Stabula* Equorum, & Boum ſic diſpoſita, ut non ingrata ſint incolis ex illis *fimeta*. 6. *Ornitrophia*, ad victus neceſſitatem, & ſupplementum. 7. *Camerinæ*, & *foricæ* ad ſubducendas ſordes. ſic etiàm ubivis exſtruantur *Camini*, ut nec *fumo* ſint infeſti, nec patentes *incendio*.

4. Sub *Supellectili* veniunt (ut ita loquamur) *Inventorio* 1. *Vaſa*, cujuſcunq; *materiæ*, *cuſuræ*, aut *Menſuræ*. 2. *Menſæ* & *ſedilia*. 3. *Linteamina Menſæ*, *Thoro*, aut honeſtati accommodanda. 4. 5. Laquearia. 6. Storiæ, aut 7. Quævis alia *utenſilia*, quæ neceſſitati, aut decori inſerviant.

5. Inter *Subdiaria* ædibus annexa tranſeant. 1. *Atria* antica, & poſtica. 2. *Ambulacra*. 3. *Pomeria*. 4. *Botanica*. 5. *Arboreta*. 6. *Piſcinæ*. 7. *Apiaria*.

6. *Vivaria* Cervorum, *Leporum*, *Cuniculorum*, ad *Oeconomiæ* potius *magnificentiam*, faciunt quã ad utilitatem. pluris igitur faciendæ ſunt *Columbaria*, *Cheroboſcica*, et deſtinata *Bobus* et *Ovibus* paſcendis paſcua.

7, *Georgica*, niſi *ſedulò* et *tempeſtivè* excolantur, eſuriendum et jejunandum eſt toti *familiæ*. Unde *Poeta*

vere

Vere novo ——————
Depreſſo incipiat jam tùm mihi Taurus aratro
Ingemere, & ſulco attritus ſplendeſcere vomer.
Et Nudus ara, ſere nudus, hyems ignava colonis.
Frigoribus, parto agricolæ plerunq; fruuntur,
Mutuaq; inter ſe læti convivia curant.

Virg. Geor. l. 1.

Paſcendis paſcua.

8. *Bucolica*, ceu *paſtoritia*, ſi negligantur, quid de *Lana*, ad *veſtiendum*; *& carnibus, & Lacticiniis Caſei & Butyri*, eſt ſperandum? unde tenendum illud *Regis ſapientiſſimi. Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſq; greges conſidera. vt ſufficiat tibi, Lac Caprarum in Cibos tuos, & neceſſaria domus tuæ, & ad victum ancillis tuis*, nec *evageris* (non cogente neceſſitate) ab *Uxore & famulis. Nam ſicut avis tranſmigrans è nido ſuo, ſic vir qui derelinquit locum ſuum.* Ib. ver. 8.

Proverb. 27. 25. & 27.

9. Reditus ſunt ex *certis prædiis*, (ut *Tuſculanis*) *anniverſarii* acceſſus. Quos, (nonnunquam) *Metallorum*, & *Carbonum* fodinæ, aut *ſylvarum cæduarum, & latomiarum*, adaugeant *uſusfructus*. Ex quibus omnibus inveniat *Oeconomus* induſtrius, quod *ſeipſum* cum tota familia, *ſatis ſuperq;* exerceat.

QVÆST.

QVÆSTIONES.

An
1. *Ædes melius ſint diſpoſitæ, quæ Boreæ in Æſtate, & Soli in Hyeme præcipuè pateant?* Aff.
2. *In ſupellectile ratio magis convenientiæ, quam magnificentiæ, ſit habenda?* Aff.
3. *Hortis & apibus, quam corti, & haris cura major ſit impendenda?* Neg.
4. *Ex Georgicis maximus familiæ accedat proventus?* Aff.
5. *Utilius Boves, quam Equi plauſtris & aratro ſunt adaptandi?* viderit *utilitas.*
6. *Vivaria Cuniculorum, Damarum, & Columbarum, amplioris ſint impenſi, quam vtilitatis?* Videant quorum *intereſt.*
7. *Reditus ultra ſortem prædii Locati, plus damni inferunt Locanti, quam attrito Colono?* Aff.

TRACT.

TRACT. IV.

De Poſſeſſorum Adminiſtrandi Ratione.

Horat. 1. QUo mihi divitiæ ſi non conceditur uti? Interrogat prudenter *Poeta*, unde ſuggerit *Philoſophus*, *Oeconomum* qui rectè quæ *poſſidet*, ſit *adminiſtraturus*, *ingenioſum*, *laborioſum*, & *juſtum* debere eſſe, ne benè *parta*, male dilabantur, & *neglecta* à ſingulis *Sparta*, omnibus accelerit *inopiam*, unuſquiſq; igitur gnavitèr proprium attendat *penſum*.

Ἐυφυὴς φιλόπονος δικαιος. Oeconom. l. 2.

2. *Penſum* illud pro varia *perſonarum* conditione ſolet eſſe, vel
1. *Patris-familias.*
2. *Matris-familias.*
3. *Liberorum.*
4. *Famulorum.*
5. *Ancillarum.*
6. *Conductitiorum.*
7. *Omnium, juncti'm.*

Oeconom. l. 1. 3. *Pater-familias* incumbit, ut 1. Præ cæteris *manè evigilet* & *ſurgat*, & de cæteris, *ultimus* petat cubitum. 2. *Religionem* primitùs colat, eam *ſuis omnibus* aſſiduus & accubuus inſtillet, & injungat. Concinit *Poeta*

Imprimis

Imprimis venerare Deos ----- Georg. 1.
----- *votisq; vocaveris imbrem.*

Et *Philosophus, Deos coli decet* præcipuè à *senioribus* Polit. l. 7.
& sanioribus. 3. Neminem *otiosum, rixosum, Ga-* c. 9.
næonem, aut *Gnathonem,* è culina sua saginet:
nam qui non vult *operari,* non manducet: eti- 2. Thes. 3.
am juxta decretum *Amasis* Regis *Ægyptiaci.* 10.
4. Tam à *procuratoribus,* quam à *subservientibus,*
constanter operis præstiti *rationem* exigat. *juxta illud, ubi manus multæ sunt claude, & quodcunq;* Eccles. 42.
trades numera, & appende, datum vero & acceptum 7.
omne describe. 5. *Bucolica & Georgica,* ipse præ-
cipuè respiciat. Nullus enim *parem curam* ha- Oeconom.
bet de *alienis* ac *propriis: mercenarius* videt *Lupum* l. 1. c. 6.
& fugit, unde laudatum illud *Persicum, Oculus*
domini pascit equum. & *Afri optimum* agri *stercus,*
domini vestigia. 6. *Alimenta instrumenta* & cæ-
tera cum *debito stipendio* necessario, providus *Er-*
go didoctes prospiciat, ne desint *operariis, Cibus* e-
nim sine *opere, porcum;* opus sine *cibo, Asinum;* ver-
bera sine utrisq; *canem,* reddent pro *Famulo.*
7. Postremò, ὀφθαλμοδουλίαν, μεμψιμοιρίαν, &
ψιθυρολογίαν, *inquisitius* & *maturius* observet, &
castiget, ne ex scintillis erumpat flamma, ad
totius familiæ conflagrationem.

4. *Mater-familias* satagat, ut 1. Domestica
ejus *solicitudini* commissa, *prudenter & decenter*
propriis locis conserventur. ut juxta *Laconi-* Oecon. l. 1.
cum præceptum, ad manum semper habeantur c. 6.
quando usui esse possint, de quibus *promiconda*
hic esse debet, ut nec *desit* quod sufficit, nec ad
osten-

TRACT. IV.

De Poßessorum Administrandi Ratione.

Horat. 1. *QUo mihi divitiæ si non conceditur uti?* Interrogat prudenter *Poeta*, unde suggerit *Philosophus*, *Oeconomum* qui rectè quæ *possidet*, sit *administraturus*, *ingeniosum*, *laboriosum*, & *justum* debere esse, ne benè *parta*, male dilabantur, & *neglecta* à singulis *Sparta*, omnibus accelerit *inopiam*, unusquisq; igitur gnavitèr proprium attendat *pensum*.

εὐφῆς φιλόπονος δίκαιος. Oeconom. l. 2.

2. *Pensum* illud pro varia *personarum* conditione solet esse, vel

1. *Patris-familias.*
2. *Matris-familias.*
3. *Liberorum.*
4. *Famulorum.*
5. *Ancillarum.*
6. *Conductitiorum.*
7. *Omnium, junctim.*

Oeconom. l. 1. 3. *Pater-familias* incumbit, ut 1. Præ cæteris *manè evigilet* & *surgat*, & de cæteris, *ultimus* petat cubitum. 2. *Religionem* primitùs colat, eam *suis omnibus* assiduus & accubuus instillet, & injungat. Concinit *Poeta*

Imprimis

Imprimis venerare Deos ----- Georg. 1.
----- *votisq; vocaveris imbrem.*

Et *Philosophus, Deos coli decet* præcipuè à *senioribus* Polit. l. 7.
& sanioribus. 3. Neminem *otiosum, rixosum, Ga-* c. 9.
næonem, aut *Gnathonem*, è culina sua saginet: nam qui non vult *operari*, non manducet: etiam juxta decretum *Amasis* Regis *Ægyptiaci.* 2. Thes. 3. 10.
4. Tam à *procuratoribus*, quam à *subservientibus*, constanter operis præstiti *rationem* exigat. *juxta illud, ubi manus multæ sunt claude, & quodcunq; trades numera, & appende, datum vero & acceptum omne describe.* 5. *Bucolica & Georgica*, ipse præcipuè respiciat. Nullus enim *parem curam* habet de *alienis* ac *propriis: mercenarius* videt *Lupum* & fugit, unde laudatum illud *Persicum, Oculus domini pascit equum.* & *Afri optimum* agri *stercus*, domini vestigia. 6. *Alimenta instrumenta* & cætera cum *debito stipendio* necessario, providus *Ergo didactes* prospiciat, ne desint *operariis, Cibus* enim sine *opere, porcum; opus* sine *cibo, Asinum; verbera* sine utrisq; *canem*, reddent pro *Famulo.* 7. Postremò, ὀφθαλμοδουλίαν, μεμψιμοιρίαν, & ἀδολογίαν, *inquisitius* & *maturius* observet, & castiget, ne ex scintillis erumpat flamma, ad totius familiæ conflagrationem. Ecclesi. 42. 7. Oeconom. l. 1. c. 6.

4. *Mater-familias* satagat, ut 1. Domestica ejus *solicitudini* commissa, *prudenter & decenter* propriis locis conserventur. ut juxta *Laconicum* præceptum, ad manum semper habeantur quando usui esse possint, de quibus *promiconda* hic esse debet, ut nec *desit* quod sufficit, nec ad Oecon. l. 1. c. 6.

osten-

ostentationem aliquid profundatur. 2. Sedulitatis suæ Domesticis conspicuum præbeat exemplar, sic ut (prout res tulerit) manum *Colo admoveat:* vel juxta illud *Poetæ*

Proverb. 31.

Georg. 1.

Interea cantu longum solata laborem,
Arguto conjux percurrit pectine telas.

3. *Lacticinia, Opsonia, Linteamina*, & cætera *usus* quotidiani, aut carioris, videat ut decentèr & nitidè disponentur & administrentur. 4. *Introducta* & *depositа* a marito, summæ sint illi curæ, ne *clandestinis* quibusvis *canalibus* diminuantur, ut justa ratio inde non reddatur. 5. Absente marito, *promiscuis* (præsertim *exoticis*) *hospitibus*, januæ ipsius non nimium pateant, ne *Helena* abducta, alterum excitet Bellum *Trojanum*, aut *Penelope* conqueratur de *procis procacibus*

Viscera nostra tuæ dilaneantur opes.

6. Ex *Hortis, Herbis, Apibus, Tragemata, Bellaria*, cæteraq; congeneris apparatus *Apothereta*, sub manu in *penu* semper habeat, nec desint ipsi *unguenta, Embammata*, & Aquæ distillatæ, quibus *deliquiis* subitaneis (absq; medicorum detrimento) possit succurrere. 7. Ita οἰκουρὸς sit, & Cochleæ instar (ut ita loquar) *domi-porta*, ut non crebrò evagetur, nisi *invitante*, & tantum non *cogente* necessitate. nec *Domifixa*, cum invitatis *familiaribus*, *dies noctesq;* pergræcando transigat.

Tit. 2, 5.

5. Liberi *accinctam* dent *parentibus* operam, cum prompta submissione, & veneratione, pro cujusq; captu & modulo. 2. Servorum conversationem

versationem obſervent, & eorum *technas* parentibus deferant. 3. Ad *parentum* juſſa quævis opera ſervilia, modo non obſtet religio, aut honeſtas, libenter ſubeant. 4. Ancillis & famulis illotioribus, *familiares* nimium non ſint, nec *moroſi*: ne hinc *contemptum*, illinc *odium*, non ferendum contrahant. 5. Non *fœdera*, aut *pacta* (majoris præſertim momenti) ineant, multo minùs *Nuptias*. aut *ſponſalia*, abſq; conſenſu *parentum* contrahant. 6. Bona *Paterna* vel *Materna*, palàm vel occultò non dilapident, ne *Ægæon* iterum à *Canibus* diſcirpatur, & *Timon* inveniat *diriſores*, quos ditaſſet *prodigus*. 7. In *Annos* parentum *ante diem*, non inquirant; ſed fatiſcentibus præ ſenectute ſupponant humeros, exemplo *Jaſonis*

Deme meis annis & demptos adde parenti.

Vel *Æneæ*, *grandævum Anchiſen*, per incendia Trojana baiulantis.

6. *Famuli* 1. præſtent *Dominis* fidelem obſequium. 2. Injuncta ab illis *penſa* alacriter ſubeant. 3. Quæ cedant in rem *Dominorum* opportunè ipſis communicent. 4. Con-ſervorum *enormes Anamolias* non prece celent, aut pretio. 5. *Dominorum*, aut *Familiæ* (cui ſe addixerunt) *commoda*, aut *exiſtimationem*, ſuam eſſe ducant, & ut propriam defendant. *Monſtroſum* ſiquidem eſt *membrum*, quod toti non ſubſervit, & *Cancro* laborans, amputandum.

7. *Ancillas*. 1. *Fides*. 2. *Taciturnitas*. 3. *Alacritas*. 4. *Mundities*. 5. *Modeſtia*. 6. *Vigilantia*.

7.

7. *Castitas*, commendant præcipuè *Dominis* & toti *familiæ*.

8. *Conductitii*, ceu *Mercenarii*, 1. Non plus *promittant* quam *præstare* se posse nôrunt. 2. *Perficiant* opus pacto *stipendio analogum*. 3. Non fraudulenter *stipulam*, pro frumento obtrudant, aut quod operi insumendum, *clàm* in proprium quasi *fiscum* subducant. 4. In opere præ *manibus* peragendo, non moras nectant frivolas, ut ipsis maneat quod agant, & uberius capient lucrum. 5. Ergo *Ergodioctes* est illis semper necessarius, qui quid agunt inspiciat, & ut agant, oscitantes extimulat.

7. Totius *denique* interest *Familiæ*, pro gradu cujusq; & *facultate* 1. Consanguineos. 2. Affines. 3. *Vicinos*. 4. Extraneos. 5. Itinerantes. 9. Indigos, aut 7. Quovis casu adventantes, præcipuè *Doctos*, & pietatis causâ *exulantes*, hospitio perbenignè accipere; Talis enim φιλανθρωπία, φιλαδελφία, & φιλοξενία, Dei conciliat & Hominum gratiam, nec tantum, *Lucro* detrahit, quantum confert *dignitati*.

QUÆST.

QUÆSTIONES.

An
1. Pater-familias Liberos reluctante genio & ingenio, ad aliquam vitæ conditionem mancipet? Neg.
2. Fidus servus degeneri filio sit à parentibus anteferendus? Aff.
3. Præstet habere servum minùs ingeniosum & fidum, quam animosum & versatilem? A.
4. Indignum sit matronam mariti defuncti famulum, in Domini thalamum admittere? A.
5. Libertus Manumittenti ingratus, nomine pœnæ justissimè in servitutem retrahatur? Aff.
6. Ars veterinaria marito potius, quam praxis medica uxori, conveniat? Aff.
7. Peritia Oeconomica, Musicâ, vel Linguarum cognitione in Filia-familias sit commendatior? Aff.

TRACT. V.

De Partorum conservatione & Amplificatione.

1. NOn minor est virtus quam quærere, parta tueri.

τῷ ἤθμῳ ἀντλεῖν τετρημένος πίθος. Oeconom. l. 1. c. 6.

Unde *Philosophus, si tueri nesciant frustrà paraverint.* Estq; hoc, aquam *infundibulo haurire, & pertusum (quod dicitur) implere dolium. Administrationem* igitur possessionum meritò sequitur *conservatio*, & (ut *legitimè*, & *commodè* fieri potest) *Amplificatio*.

2. Ad εὐπορίαν, & *Amplificationes* hujusmodi, plurimum conferunt

1. *Terrarum* neglectarum *Clausuræ*.
2. *Clausarum* impinguantes *Culturæ*.
3. *Paludum* exsiccationes.
4. *Dumetorum* & *vepretorum* pastinationes.
5. *Pomariorum* & *Frutetorum* studium.

6.

6. *Glaſti, Lini,* & *Lupulorum* ſatio, & cultivatio.
7. *In vendendis & emendis*, pactisve cæteris *Tranſactiones* providæ.

3. *Clauſuræ*, ſic inſtituantur ut cum, *nullius ſit injuria*. Sed quod tuum eſt peculium, illud in rem tuam jure munias. 2. Munimenta autem hujuſmodi *Arearum, hypethrorum & hortorum*, habitaculum circumjacentium, non parum conducunt, ad *Cortium, ſtabulorum*, & proventium *vicinorum* Tutamen. 3. Non minus ac *ſepimenta* in fundis remotioribus, quæ tua ſint ab alienis diſterminent, & conſervent.

4. *Culturæ* hujuſmodi, (quibus *Eremi* et *loca ſenia* nonnunquam reddantur fugifera) *perficiuntur* plerunq; per *cretam* è terra *effoſſam*, & in *ſuperficiem* novalium conſperſam. 2. Vel per lapides ex *Margario* erutos, & agro injectos, aut 3. *Calcem* ex illorum, aut *ſilicum* combuſtione confectum. vel ex 4. Advecta è *Mari arena*. vel 5. Ex addito *fimo copioſo*. vel 6. Ex *cineribus* ambuſtorum *ceſpitum*, ex decorticata ejuſdem terræ gleba congeſtorum. 7. Vel ex *Cremio. Arbuſtorum, Rhamnorum, Paliurorum, Geniſtarum, Filicum*, ex talibus enim fœcundari ſolum, oſtendit *Poeta*. *Vid Ram. in virg. Georg. l. 1,*

Sæpe etiam ſteriles incendere profuit agros,
Atq; levem ſtipulam crepitantibus urere flammis. *Virg Georg l. 2.*

Cui conſentiunt, *Columella, Palladius, Plinius*,

aliiq; authores rei Ruſticæ.

5. *Paludum* exſiccatio, magnum adferat non Dominis tantùm, ſed *Reipublicæ* emolumentum, ſi commoda refundant expenſa, & Aquæductus exhauratorii non ſtagnent, ad aëris intemperiem. 2. Hinc enim, quaſi ex Lerna, amputentur Hydræ, & ex limo emergunt prædia, ad dilatanda poſſidentium latifundia.

6. *Dumeta* etiam, & *vepreta*, una cum locis *lapidoſis & Sabuloſis*, quavis arte & induſtria commutata, in *arva*, *prata*, aut *paſcua*, non minus publicæ, quam rei privatæ proſint, dum à talibus quaſi Magazinis aut *Commeati-fodinis*, impleantur *horrea & macella*.

7. *Pomaria*, *Fruticeta*, & *Lupularia* quodnam dant *incrementum*, experiuntur ii cum ſudoris fœnore, qui hujuſmodi excolunt ſtudioſiùs. 2. *Vineta* non gemmant, apud *Britannos* noſtros, undè nil de iis *Oeconomo* noſtro præcipimus. 3. Sed & Pomis, ex Pyris noſtris prodit ſuccus, vulgo dictus, *Cider* & *Perry*, qui facile vini defectum ſuppleat, *cui Methegling* accenſeas ex *Apium* alveareis, quod vix poſtponeres muſto cuivis *Malvatico*. ut &

8. De multiplici *Lini* beneficio; & *Glaſti*, ſeu *Guadi* proventu, multa prædicunt iſtius herbæ *cultores*, ſi verò (ut aſſerunt) terram ſubigat & præparet ad uberiorem *tritici* meſſem, ultra ſortem illud *Oeconomo* obveniat, quod à Tinctoribus ulteriùs acquirit.

9. Solicitus igitur ſit *Sagax* noſter *Oeconomus* in

in contractibus quibuſcunq; obeundis, ne dimineat foris imperitia, quod contulit domi diligentia. Ita igitur *emat*, vendatq; ut *plus* ſemper inferatur *depoſito*, quam *exeat*. Quod fieri non poteſt, niſi arceantur, quædam *monſtra* ab ipſius *Limine*, & *Limitibus*. quæ *Tractatu* proximo ſequuntur.

QUÆSTIONES.

1. *Clauſuræ rectè diſpoſitæ, reipublicæ ſint proficuæ?* Aff.
2. *Sit aliqua terra adeò ſterilis ut nulla cultura ſubigatur?* Neg.
3. *Loca paludoſa facilius in prata, quam in paſcua tranſeant?* Aff.
4. An *Sub locis Scopuloſis & montanis præcipuè latent Mineralia?* Aff.
5. *Pomorum & Pyrorum liquor, noſtris temperamentis ſit accommodatior, quam vina exotica?* Aff.
6. *Exotica Glaſti, aut Tobacci plantatio, plus novitate noceant, quam conferant utilitatis?* Aff.
7. *In contractibus, liceat imperitum, vendendo, aut emendo circumvenire?* Neg.

TRACTATUS VI.

De Possessionum & Familiæ Dissipatione.

1. NIL tam *fixum* & stabile inveniatur in quavis vitæ *conditione*, quin tale subeat vices, quibus *labifactetur vacillet*, & *corruat*, undè rectè *Ille*

Quicunq; regno fidit & magna potens
Dominatur aula.----- me videat & te Troia.

Et aliter

Quem Dies vidit veniens superbum,
Hunc dies videt rediens jacentem.

Ut igitur apud *Theologos*, peccata designantur conscientiam: sic in *Oeconomicis*, occurrunt *cinora* totius familiæ nervos incidentia, & com pagem *vastantia*, & dissipantia.

2. *Cujuſmodi* habeantur præ cæteris
1. *Epicuriſmus.*
2. *Atheiſmus.*
3. *Thraſoniſmus.*
4. *Nabaliſmus.*
5. *Iſmaelitiſmus.*
6. *Phariſæiſmus.*
7. *Dyſtychiſmus.*

3. *Epicuriſmus*, in 1. *Victu*, 2. Veſtitu, 3. Venere, 4. *Theatricis*, 5. Bruti-ludiis, 6. Sponſionibus, 7. Alea, aliiſq; hujuſmodi *hirudinibus*, inter *Ganeones*, *Gnathones*, cæteroſq; ejuſdem fuliginis *Acolaſtos*, contundit & effundit omnia. Ubi illud *Sardanapali acraoma*

Ede, Bibe, Lude, poſt mortem nulla voluptas,

Incurrat meritò *Cynici Sarcaſmum*, de Domo cujuſdam *Prodigi*, Exiſtimabam, te tam diu *ingurgitaturam*, donec tandem *Dominum tuum* evomeres. Attendendum igitur hic Syracidis monitum. Ne fias pauper *convivando* ex fæno- Eccleſiaſt. re, cum nihil ſit in *proprio ſacculo*: ita vitæ pro- 18.13. priæ *inſidiaberis*, & fies vulgi fabula. Sicut & illud *Adagium*, Inſtruunt *ſtulti* convivia, & *Sagaciores* comedunt.

4. *Atheiſmi* capita tria *Cerberea*, ſunt eminentiora, 1. *Rebellio*, 2. *Perjurium*, 3. *Sacrilegium*, quæ non bellum tantum *cælo*, cum priſcis *Gigantibus*, ſed *contumeliam* & *contemptum* inferunt. Sed quo ſucceſſu, oſtendunt *conjuratorum*, *perjurum*, & *ſacrilegorum*, triſtiſſimi exitus, ab omnibus *ſectis* & *tribubus* formidandi.

5. *Thrasonismus*, se effert in sumptibus, ultra sortem, magnificis, ad captandum *Populi* plausum; dum prudentiores exhibilent κενοδοξίαν. Undè fit plerunq; ut dum *Icarus* summa petit, ima signat nomine, & crepat Bufo in *medio*, dum ad *Bovis* intumescit molem.

Vidi ego vesicam modico turgescere flatu,
Quæ pisis sonuit quatuor impositis:
Hanc puer unus acu tetigit, dissiluit repente,
Vilis & absq; sono, flaccida detumuit.

Erasm. Chil. Recolendum igitur est hic *Epamanondæ* axioma, *Frugale prandium* non recipit proditionem, & rithmi isti veridici

Qui plus expendit, quàm rerum copia tendit,
Non admiretur, si paupertate gravetur.

6. *Nabalismus*, porcinam quandam includit *feritatem*, quæ non proprio *volutabro* satiata, 1. Sam. 25. digniores (forte indigos) cænosâ aspergit spumâ: quis *David*? quis *filius Isai*? multiplicantur *fugitivi*, darem ego aliquid iis quos nescio? Si non des, non provoces, ne morositas tua te excerebret, & transferat tuum Mammona in alienam familiam.

Gen. 16. 7. *Ismaelita*, habeatur πολυπραγμων, cujus *manus contra omnes*, & manus *omnium contra eum*, *Causidicis*, multo quam *vicinis* acceptior. Hic immiscet se *omnium* negotiis, *Remum* agitat in cujusvis *Cymba*, & simul & semel, falcem in oppositorum immittit messem. non mirum igitur est, si domi frigeat *culina*, cum Dominus sic undiq; in *Heterogeneis* incalescat, & tandem

nudus

nudus redeat, qui benè *vestitus*, & *nummatus* exierat.

8. Ad *Pharisæismum*, referas omnia incantamenta, quæ sub *Religionis* prætextu *Avaritiæ*, *Malitiæ*, & *inani gloriæ* velificant: Ista sunt βάθη σατανᾶ, quibus *homo* homini fit *Lupus*; domestici, *colubri*; & *Templum Dei*, Latronum *spelunca*. Tales *Cadmei* fratres ex *viperina* prosapia, *superiores*, non ferunt; *pares*, quibus possint occultis telis læthaliter feriūt; *Inferiores*, nisi animas & *conscientias* ipsis prostituant, *feritate* plusquam *Cyclopica* impetunt & deglutiunt. Sed tot *væ* in hos *hypocritas* denuntiata, non possunt non esse exitialia ipsorum familiis. Obser- vasset hoc *Ecclesiastes*, unde præcipit, *Noli* esse nimium *justus*, & (tuo Sensu) abundanter *sapiens*, nam cur *desolaberis*? postremo Eccles. 7. 16.

9. *Dystychismo*, sive inexpectato quodam infortunio & *scævitate*, dissipatur familia, ex *Bello*, Peste, *incendiis*, & Infinitis hujusmodi *procellis*, quas prævidere æque difficile fuit, ac declinare. Id agendum igitur cum talia frequenter incidant; ut *animum* non despondeat noster *Oeconomus*, sed intendat nervos, ut dissipata colligentur, fracta compingentur, luxata consolidentur, oppignorata (quantumfieri potest) repetantur, & resarcientur. Quod quibus mediis possit perfici, superest ultimo in *loco* ut aliquid suggeratur.

QUÆST.

QUÆSTIONES.

An
1. *Plures gulâ quam gladio, aut inediâ, in familiis pereunt?* Aff.
2. *Rebellio, Perjurium, & Sacrilegium statuantur certa Atheismi indicia?* Aff.
3. *Liceat Magistratum, aut honorum titulos mercari?* Neg.
4. *Major sub sordida morositate lateat, quã sub aulica pompa pateat Ambitio?* Aff.
5. *Contentiones juridicæ (nisi in litibus haud aliter determinandis) præcipuè exhauriunt domesticas facultates?* Aff.
6. *Pharisaicus Religionis prætextus sit nocentissimum omnium nequitiarum asylum?* A.
7. *Animus in extrema quavis calamitate à pio Occonomo sit despondendus?* Neg.

TRACT.

TRACT. VII.

De Status collapsi Redintegratione.

1. UT *corpori* perperam *affecto*, quæri ſolet ſtatim, licet non inveniatur *Remedium*; ſic *Familiæ*, non negligenda eſt *dilapidatio*: Sed *tempeſtivè* adhibendum illud Comici

Fores *effregit?* reſtituentur, *diſcidit veſtem?* reſarcietur ------ *Terent. in Adelph.*

Nam ita vita eſt hominum, quaſi *cum Ludas teſſeris*; *Si illud quod maxime opus eſt jactu non cadit*, illud *quod ceciderit forte, id arte ut corrigas*. Quod & dexteriùs fiet & auſpicatiùs, ſi ad *interiorem* (quam circumgeſtamus) Animæ *Oeconomiam*: exterior *facultatum*, ſic *conformetur*, ut utriuſq; *conſors* & *ſyncera* inſtituatur *Reformatio*. Nam quis non animadvertat, 1. *Intellectum* in nobis *Patris-familias*. 2. *Voluntatem Matris*. 3. *Arbitrium*, & 4. *Conſcientiam*, *Liberorum*, ſupplere vices? Accedit 5. *Senſus communis* qui *præſentium*.

tium. 6. *Phantaſia*, quæ *futurorum*. 7. *Memoria*, quæ *præteritorum* expendit momenta. Hiſce famulantur quinq; *ſenſus* externi, *ancillantur* (*voluntati* præcipuè) *concupiſcentia* & *deteſtatio*. Hiſce (ut oportet) *compoſitis* & *diſpoſitis*, expeditior erit de *circumpoſitis* rebus *collapſis*, Inſtauratio. Conſtat de *deleteriis*, in antecedentibus; de *Therapeuticis* reſtat nunc *Scrutinium*. *Deucalion* ex *Lapidibus*, *Æacus* ex *formicis* comparârunt *Oeconomos*: ut ex cæſo *bove* *Ariſteus* accepit *Apes*; *Apes*, *formicæ*, *lapides*, quid aliud ingerunt, quam ex jugi *ſedulitate*, & *labore* improbo, collapſum incuriâ ſtatum, in Integrum reſtitui, quod *promoveant* ſaltèm, ſi non *perficiant*

Ovid. Metamorph. l. 1. & 7. Virg. Georg. l 3.

2. Hæc cum ſimilibus *Media*.
1. *Relictorum*, accurata *æſtimatio*.
2. *Familiæ* luxuriantis, *diminutio*.
3. *Supellectilis* non Neceſſariæ, *Auctio*.
4. *Pecuniæ* inde corraſæ, ad *rem augendam* provida & prudens diſpoſitio.
5. *Diætæ*, frugalis obſervatio.
6. *Congreſſuum* ſumptuoſorum, Declinatio.
7. *Familiæ*, pro Tempore, Diſſolutio.

3. *Æſtimatio* Relictorum, eſt Sperandæ *Redintegrationis adæquatum* quaſi *ſubjectum*. 1. Hic igitur de *pecuniis*, de *prædiis*, de *ſupellectile*, & reliquis

liquis quibuſcunq; *reſiduis* exacta ineunda eſt ratio, ut quid valeant *humeri*, aut quid *ferre* recuſent, intelligatur. 2. Quod autem *debes*, aut mutuo *acceperis*, aut alterius eſt *depoſitum*, tuum non ſubeat *calculum*, ac ſi eſſet de tuis. 3. Tibi verò *debita* inſtantèr repetas, quia *bona nomina* (ut habeat Quidam) non-compellando *mala* fiant *omina*. Nec temerè quod ſub manu eſt des mutuò, nam ſi *comodabis*, vix *redhabebis*, ſi *redhabebis*, vix tam *citò*, ſi tam *citò*, forſan non tam *Bonum*, ſi tam *bonum*, aliquoties fit ut perdas *amicum*. Ex æſtimatis Reliquiis facile perſentiſcat Oeconomus, ad *reſtem* penè redactus & ad *incitas*, *quomodo* & quouſq; *Lutherus.*

4. Familiæ fiat *Diminutio*. In qua *Liberorum* prima habenda eſt *ratio*, ut *honeſtè* & providè elocentur, pro ipſius, & ipſorum *conditione*. Deinceps *Famuli* dimittantur, quibus commodè carere poſſes. Sed non abſq; *mercede* debita, & benevoli affectus (prout merentur) ſignificatione, quibus tranſactis, ſicut res tulerit

5. *Bona* quæ poſſides ſingula *cenſum* ſubeant, & *Auctionem*; retentis tantùm iis, quæ *Neceſſitati*, *honeſtati*, & *decoro*, tibi & *iis* quos non dimittis, inſerviant.

6. *Pecunia* recepta, non *fœnore* inhoneſto, aut *Mercaturâ* periculosâ, (ut monet *Cato*) incrementum capiat, vel in terra *abſcondenda* aut *ſeponenda* in *ſudario*, ſudandum magis, ut in *rem tuam* ſic diſponatur, ut creſcat inde potius, quam rubiginem contrahat, *cumulus*. *De Re. Ruſt. in principio.* Math. 25. Luc. 19.

Parvula

Parvula namq́, exemplo est magni Formica laboris:
Ore trahit quodcunq́, potest atq́, addit acervo.

Et *Thaletis* illa (si porrigatur) arripienda est ansa, illud opportunè *emendo*, quod *charius vendas* præpedièm.

Cumulum huic etiam dietim adaugeat

7. *Dieta*, non *parca* nimis aut *sordida*, sed pro depressa conditione *moderata* & *frugalis*. Siquidem non sale caret illud nescio cujus monitum

Ordine vivatis, nec frustra distribuatis
Res vestras medicis, quia non opus est homicidis.

Arist. Oeconom. l. 2. *Lacedæmonii* ut opem ferrent *Samiis*, ad patriam amissam recuperandam; addixerunt, tam *Jumentis*, quam omnium familiarium *Incolis*, diei *unius* à cibo, potu & pabulo *abstinentiam*: Ut quicquid inde colligeretur *Samiis* impartiretur. Nostri verò si (prout tenentur) observarent *Quadragesimalia* & stata *Jejunia*, congererent facile absq; vel minima *superstitionis* aspergine, quæ non tantùm suis sed aliis indigentibus suppeterent. Fieri autem hoc commodè non potest, nisi *faliares* & nimium *dapsiles* ditiorum

8. *Congressus*, studiosius à pœnitente nostro *Acolasto* declinentur. Siquidem *Græci* te cogent ad *pergræcandum*, & inter *Romanos* luxuriantes ipsorum moribus aliquid est largiendum, abstinendum igitur à talium consortio

Si libertatis, tibi sit vel cura peculi.

Ista autem omnia si *Oeconomiæ* deploratæ ruinas non resarciant

9.

9. *Ultimum* emergit *perfugium* & quasi post naufragium *tabula*; *Transitus* nempe cum *Uxore*, & *necessariis*, ad Amici alicujus *Hospitium*, ut ibidem pro tempore respirãdo vires recolligat, unde postea sicut *Jacob* è *Mesopotamia*, aut *Naomi* à *Moabitis*, sub *feliciori* quasi *sydere*, domũ redeat, & *Oeconomiam* firmiorem redintegret. Ex quâ si 1. *Maligni*, 2. *Prævaricantes*, 3. *Morosi*, 4. *Calumniatores*, 5. *Supercilioſi*, 6. *Subdoli*, 7. *Mendaces* eliminentur filii *Belial*, *Tranquillitatis* illum tandem assequatur *portum*, de quo Poëta

Vitam quæ faciunt Beatiorem,
(Jucundissime Martialis) hæc sunt:
Res non parta labore, sed relicta,
Non ingratus ager, focus perennis.
Lis nunquam, toga rara, mens quieta,
Vires ingenuæ, salubre corpus,
Prudens simplicitas, pares amici,
Convictus facilis, sine arte mensa,
Nox non ebria, sed soluta curis,
Non tristis torus, attamen pudicus,
Somnus qui faciat breves tenebras,
Quod sit esse velis, nihilq; malis,
Summum nec metuas diem, nec optes.

Atq; ita ex *frugi* & *pio Oeconomo* honoratior prodeat *Civis* ad *Clavum* Reipublicæ admittendus, perductum illius *Patris-familias*, qui in *gaudium Domini* immittit *fidos operarios*. Cui cum Filio & S.S. sit omnis Honor Laus & Gloria in *secula seculorum*. AMEN.

QUÆST.

QUÆSTIONES.

An
1. *Ex Alea, aut aliis Ludis lucrum, sit licitum?* Neg.
2. *Fœnus pecuniæ sit funus animæ?* Aff.
3. *Sub Religionis prætextu liceat statum collapsum restituere?* Neg.
4. *Justum sit cariùs vendere, ut emas vilius?* Aff.
5. *Qui auget dolo rem auget dolorem?* Aff.
6. *Honestum sit in pactis, imperitioribus imponere?* Neg.
7. *Ut benè Tibi sit, liceat Liberos vel Servos aliorum libidini prostituere?* Neg.

FINIS.

HYPOMNEMATA

ſive *Lineamenta Politica*,

ad certa etiam Capita

compendiosè reducta.

INTRODUCTIO.

1. EX *Oeconomicis* coaleſcunt *Politica*. Nativus igitur erit ab *his*, ad illa progreſſus.

2. Iſta autem tractari ſolent { 1. *Idealiter.* vel 2. *Realiter.*

3. *Ideam* Reipublicæ exhibent, *Plato* de Repub. *Morus* noſtras in *utopia*, & Honoratiſſimus. *Verolamius* in *Atlantide*, qualem effinxerunt ad vota, non ſperarunt ut uſpiam ſtabilaretur.

4. *Realis* autem à nobis reſpicienda eſt, qualis *fuerit*, *eſt*, & *ſolet eſſe* in ſtatu *pacato*, aut

turbato. Ad hujus definitionis *modulum.*

5. *Politica*, est *Doctrina*, quæ ad Rempublicam, *Piè*, *Prudenter*, & *Fæliciter Constituendam* & *Administrandam*, quantum fieri potest, dirigit. Itaq;

6. Ejus *Subjectum* est *Respublica*, quæ consistit in communione, *Personarum*, *Rerum*, & *Actionum Civilium*, secundum *Sub* & *Supra* (ut loqui solent) dispositarum. Unde

7. *Cœtus* (vel potius *Colluvies*,) *Latronum*, *validorum Mendicantium*, *Cyclopum*, *Amazonum*, vel quovis modo tumultuario *fœderatorum*, sub quocunq; *Religionis*, *defensionis*, aut *Reformationis* prætextu; non erigant *Rem*, Sed *Damnum publicum.*

8. In *Politia* observentur
1. *Formæ Reipublicæ discrepantes.*
2. *Leges.*
3. *Magistratus.*
4. *Subditi.*
5. *Educatio.*
6. *Exercitia.*
7. *Commercium cum exteris.*

9. *Formæ* Reipublicæ, sunt *Modi* Legittimi, qui nonnunquam degenerant in exitiales *deformitates*. junctim verò

10.

10. Sie perpendenda occurrunt
1. *Monarchia.*
2. *Tyrannis.*
3. *Ariſtocratia.*
4. *Oligarchia.*
5. *Democratia.*
6. *Oclocratia.*
7. *Anarchia.*

Conf. l 3. Polit. c. 5. 10. 11.

QUÆSTIONES.

An
1. *Homo ſit Naturâ Animal Politicum?* Aff.
2. *Subordinatio omni Reipublicæ ſit eſſentialis?* Aff.
3. *Regimen conſtans tantum ex fœminis, pro Republica ſit habenda?* Neg.

TRACT. I.

De Monarchia, & cæteris Rerum publicarum Formi.

1. ONARCHIA, in qua *uni Imperanti* reliqui omnes ſubjiciuntur, eſt conſenſu omnium optimus Reipublicæ ſtatus juxtà *decantatum* illud Elogium quo Librum Metaphyſ. 12. claudit *Philoſophus*. *Entia nolunt male gubernari*. unde

Iliad. 2. Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη εἷς κοίρανος ἔστω
εἷς βασιλεύς.

Non multos Regnare bonum eſt, Rex unicus eſto
Unius imperium; cui Juppiter aurea magnus
Sceptra dedit, juſſitq; ſuis dare jura tuendis.

3. *Monarcha* autem, vel poteſt eſſe *talis*, qui pro *arbitratu* ſingula diſponit licenter, ſic ut ſtet pro ratione *voluntas*, quale eſt *Turcicum* aut *Barbarorum* Imperium. vel qui in *Leges aliquas* conſentit, juxta *quas Sacramento* ſe obligat eſſe gubernaturum, quod fit à *Regibus Chriſtianis*.

4.

4. Harum tamen *Legum pœnis* non ſic ſubjiciantur *principes*, ut violantes *exauctorentur*, aut à ſubditis quovis modo *puniantur*, ſed dirigantur ab *illis*, quas ſi violant perfidè, Deum tantum (cui immediatè ſubſunt) ultorem expectent.

5. A *ſuprematu* autem hoc, ſive jure *hæreditario*, ſivè *Electione*, ſive alio quovis modo legittimo illis obveniente, *privàri* non poſſunt, vel *detrudi* à ſuis ſubditis, quia obſequium tantum Deo debent, cujus ſunt *vicarii*, nec à jurata ipſis *fidelitate* ſubditi, poſſunt ulla *Religione* abſolvi.

6. *Majeſtatis* tantæ jura ſeu ut loquuntur) *prærogativæ*, ad iſta fere revocentur capita. *Leges* condere, ſaltem ſuo ſuffragio *animare* & ratas facere. 2. Religionis *ritus* ordinare, & ejusdem *Myſtas*, ad munera fideliter obeunda cogere, & delinquentes punire. 3. *Magiſtratus inferiores* conſtituere, *Synodos* ſeu *Eccleſiaſticas* ſive *Politicas* convocare & *ratificare*. 4. *Monetam* cudere. 5. *Incorporationes* quaſvis, *Academicas*, aut *oppidanas*, condere aut diſſolvere. 6. *Tributa* & *vectigalia* exigere. 7. Bella *offenſoria* aut *defenſoria* indicere, *milites* conſcribere, *Inducias* aut fœdus *facere*, in Bonum *Eccleſiæ*, & *Reipublicæ*. Hæc autem ſingula, ſi minùs habeantur, aut pervertantur, introducitur

παρέκβασις βασιλείας. Polit. l. 4. c. 2.

7. *Tyrannis*, Quæ eſt regalis poteſtatis *Depravatio*, & *Legum* violatio, & diſtortio, ad Reipublicæ & ſubditorum pernitiem.

8. *Tyrannus* autem poteſt eſſe *talis*, { 1. *Titulo.* vel 2. *Exercitio.*

9. *Titulo* habetur *Tyrannus*, qui *violentiâ*, aut *fraudulentiâ*, aut alio quovis *ſtratagemate illegitimo* invaſit ſolium.

10. Talis ut *Hoſtis publicus*, etiam cum laude, ab oppreſſis tolli poteſt è medio. ſiquidem

Ad Generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci,
Deſcendunt Reges, & ſicca morte Tyranni.

Juven. Sat. 10.

11. Atqui *Tyrannus Exercitio*, qui *Legittimè* ſceptrum tenens, per fas & nefas in ſuos graſſatur, & evertit omnia; non *vi* & *armis* à ſubditis eſt cogendus, ſed *Dei* relinquendus tribunali, cujus eſt flagellum.

12. Eundem interim *compellare* liceat *ſubditis*, & ad ſaniorem mentem, debitâ ſubmiſſione, revocare; Vel per 1. Vindictæ divinæ ex Scripturis liberam (per quos oportet) denuntiationem; Vel per 2. *Senatorum* & *Conſiliariorum*, ſerium & opportunum ſuaſum; vel per 3. Mandatorum injuſtorum declinationem; ut nolebant juſſi *Saulis* famuli *extendere manus* adverſus innocuos *Sacerdotes Domini*; Aut per 4. Defenſionem inculpatæ tutelæ; ut *fœminæ* ad conſervandam *caſtitatem*; Præcipuè verò per 5. Fugam; juxta *Salvatoris* monitum, cum *perſequuntur vos in una Civitate*, fugite in aliam; 6. Per Preces & Lachrymas, *Chriſtianorum Primativorum* arma. 7. Poſtremò per *Martyrium*; quod ſubeundum potiùs, quam arma in legittimum prin-

1. Sam. 22.

Math. 10.

Principem ſumenda, quæ *martyrii* reſiſtentes privant Coronâ.

13. *Ariſtocratia*, eſt Reipublicæ Gubernatio, quæ per ſelectum *Optimatum* cœtum diſponit ſingula. Hæc, ſi in paucorum factionem intumeſcat, degenerat in

14. *Oligarchiam*; quæ eſt paucorum *Capitum* Tyrannis *multiceps*. Hæc maturè comprimenda, aut *Ilias* malorum in Republica expectanda.

16. *Democratia*, eſt *Populi totius* juxta majorem ſuffragiorum numerum, de *Rebus*, *Perſonis*, & *Actionibus*, *decretoria Diſpoſitio*. Hæc ſenſim plerunq; delabitur in

16. *Oclocratiam*, in qua negotia tranſiguntur, ut in concurſu *Epheſino* pro *Dianæ* Idolo: ubi *plures neſciebant* inter clamores *diſſonos qua ex cauſa convenîſſent*. Hujus ſcrofæ fætus eſt Act. 19.

17. *Anarchia* quædam *Cyclopica*, in qua vel *Polyphemus Monophthalmus* de *pecudibus* ſuis pro cęcitate ſtatuit aut *jure*, *domo* & *tribu* carentes Demagoræ, Sophiſticè dementent *populum*, ad quaſvis nequitias, cum nullus ſit qui cohibeat. Ἀφρίτωρ Ἀθέμιστος Ἀνίστιος Polit. l. 1. c. 2.

QUÆST.

QUÆSTIONES.

An
1. *Monarchia ſit optimus Reipublicæ ſtatus?* Aff.
2. *Rex potius Succeſſione, quam Electione ſit expetendus?* Aff.
3. *Juſto Rex admiſſus Titulo poteſt à ſuis ſubditis quovis prætextu deponi aut puniri?* Neg.
4. *Ariſtocratia & Democratia facile abeunt in Schiſmata & Tumultus?* Aff.
5. *Certa & fatalis ſit Regnorum periodus?* A. Sed Deo tantum cognita.
6. *Liceat Tyrannum Occidere?* Aff. uſurpantem.
7. *Præſtet ſub quovis regimine, quam ſub nullo vivere?* Aff.

TRACT.

TRACT. II.

De Legibus.

1. REIPUBLICÆ *forma* vel ſpecioſiſſima, abſq; *Legum ſole*, *Monſtrum horendum, informe, ingens cui Lumen ademptum* quam citò excludat. Vel ut *Navis* ſine *Cynoſura* aut pixide, incertò huc & illuc fluctuat. Qua propter Leges neceſſariò ſubtexuntur ſingulis Rerump: *ſtructuris*, ne ut in *Campana* ſine *Malleo*, aut abſq; *piſtello Mortario*, Regiminis tantùm *ſpectrum*, non uſus fructus percipiatur.

2. *Lex* autem eſt *Regula* humanarum actionum, vim habens *directivam*, & *coactivam*. Secundum quam oportet quemlibet *Magiſtratum*, in quavis ordinata Republica, omnia *peragenda* aut *declinanda* adminiſtrare. *Aq.* 1. q. 90. Unde,

3. Differt a *præcepto*, quia illud eſt *contractioris* extenſionis, Et aliquotiès cum *præcipiente* expirat, & a *conſilio*, quia hoc *dirigit* tantùm non obligat.

4.

4. De *Legibus* generatim teneantur, hæc *axiomata*,

1. *Qui legibus piè & prudenter latis inservit, inservit Deo.* Plato.
2. *Ex malis moribus, bonæ aliquotiès nascentur leges.* non *efficienter*, sed *occasionaliter*.
3. *Necessitas non habet legem. quia lex non præcipit impossibilia*, de quibus non est *deliberatio*.
4. *Non necesse est, ut omnium a majoribus constitutorum*, reddatur *ratio*.
5. *Leges, Genio subditorum (quantùm fieri potest) sunt adaptandæ. Nec absq; maturo consilio, & consensu temerè mutandæ.*
6. *Consuetudo est Legis interpres optimus. Non stabilitur tamen Temporis tractu, quod ab initio sanum non fuit.* Digest. de legib.
7. *Non ferenda est lex humana, quæ Divinæ contradicit. cujus influxu tantùm obligat conscientiam* quævis humana *sanctio*.

5. Leges speciatim (a *Christianis* præsertim) observandæ, sunt

1. *Naturæ*.
2. *Gentium*.
3. *Divinæ*.
4. *Ecclesiasticæ*.
5. *Imperiales*.
6. *Municipales*.
7. *Consuetudines*.

6.

6. *Lex Naturæ* eſt, quam omnia *animalia*, immutabiliter, & *indiſpenſabiliter* Natura docuit, Inſtit. l. 1. T. 2. Ideoq; *iſtam* violare, eſt infrà *Bruta* Animantia ſubſidere.

7. Hujus *Dicta* ſunt Receptiſſima, 1. vitæ propriæ *conſervatio*, 2. Ad nativas inclinationes *Recurſus*, 3. Libertatis *Affectatio*, 4. *Aſſociatio* cum paribus, 5. *Conjunctio* maris & fœminæ, 6. prolis *propagatio* & *Defenſio*. 7. Externæ violentiæ *depulſio*.

8. *Leges Gentium*, *a Jure naturali* facile recedere intelliguntur, (inquit *Imperator:*) quia illæ omnibus *animalibus*, hæ ſolis hominibus inter ſe ſunt communes. Inſt. l. 1. T. 1. §. 4.

9. Harum *Inſtitutiones* ſunt, 1. *Numen* aliquod colere, 2. *Regimen* aliquale agnoſcere, 3. *Rempublicam* pro viribus tueri, 4. *Βιωτικοῖς* ſeu *rebus ad vitam* neceſſariis, ſibi & ſuis proſpicere, 5. *Fœdera*, *contractus*, & *Judicia* aliqua rata & grata habere, 6. Diſcendi teneri *ſtudio*, 7. Aliquem, poſt hanc vitam, *ſtatum* immortalem agnoſcere.

10. *Divinæ leges*, Dicta, facta, cogitata, tam ad amuſſim dirigunt, ut niſi ceteræ *Leges* omnes, ab hoc *ſole* mutuentur lumen, neceſſe eſt, ut in præcipuis patiantur *deliquium*. Unde

11. *Canones Eccleſiaſtici* eò collimant ſinguli, ut conſignata in *Scripturis*, ſummi *Nomothetæ* placita, ſolenniùs & decentiùs obſerventur, qui ut *varii* ſunt, in *diverſis* Eccleſiis, ſic & variari poſſunt, modo *διαξία* quædam, & *ἐυσχημοσύνη*

• *μορία Apoſtolica* devotè in omnibus retineatur.

12. Leges *Imperiales* ob Regnorum diſtinctorum commercia, inter Chriſtianos meritò obtinent. Et *Antiquitatis, Æquitatis* & venerandæ *authoritatis* ratione, in maximi *momenti* negotiis *ſummo* ſunt in pretio.

13. *Municipales* accommodantur cujuſvis nationis *conditioni* & *genio*. Quorum conſenſu, *obrogari, mutari*, aut *ampliari* in aliquibus contingit, ut apud nos *ſtatuta Parliamentaria*.

14. *Conſuetudo* ſeu præſcriptio, vim Legis obtinere conceditur. Modo *juſta*, ſit & *rationabilis*, nec *naturæ*, aut *Legi Divinæ* adverſetur. Ep. 86. Unde, *Auguſtinus*. *Mos populi Dei pro Lege eſt habendus*. Et per *plurimos* annos comprobata, ut *ſcripta Jura* ſervantur. *Digeſt*. de *Legibus*.

QUÆST.

QVÆSTIONES.

An
1. Civitas *melius ab optimo* Rege, *quam ab* optima Lege *gubernetur?* Aff.
2. Leges humanæ *obligent* Conſcientiam? Aff.
3. Lex *ſit toleranda cujus nulla* Ratio *reddi poteſt?* Aff.
4. Neceſſitas *aliquem cogeret ad* Legem Dei *violandum?* N.
5. *Præſtet* Legis *alicujus* incommodæ *ferre* damnum, *quam incertæ* Innovationis *ſubire periculum?* A.
6. *Lex apud Chriſtianos obtineat, quæ verbo dei contradicat?* N.
7. *Ipſe ſummus Legiſlator â Legibus quibus ſe obſtrinxit ſit exemptus?* Aff. *Quoad mulctam a ſubditis, non quoad vindictam a deo expectandam.*

TRACT.

TRACT. III.

De *Magistratibus*.

1. LEGIBUS commode subnectuntur *Magistratus*, qui juxta *Legis Normam* Singula tenentur administrare.

2. *Magistratus* hic non intelligitur *Summus*, sive ὑπέρεχων, qui βασιλεύς est, Rex juxta *Apostolum*, de quo anteà, sed ἡγέμονες ὑπ' αὐτοῦ πεμπόμενοι *Magistratus* seu *præsides inferiores* à supremo legittime *designati*, & *auctorati*. Unde talis

3. *Magistratus* definiatur qui à *supremo derivatam* habet *authoritatem*, indubitato autoramento *traductam*, ad hoc vel illud munus, in *Bonum* Reipublicæ obeundum. Itaq;

4. Quicunq; in Republica, arripit sibi *jus Gladii*, aut in concives *jurisdictionem*, non legittime vocatus; *Reus* potius *Majestatis*, quàm *Magistratus legittimus* est habendus.

5.

5. De *Magistratu* *examen* subeant
- 1. *Necessitas.*
- 2. *Qualificatio.*
- 3. *Constitutio.*
- 4. *Ordines.*
- 5. *Authoritas.*
- 6. *Officiarii.*
- 7. *Præmia.*

6, *Necessitatem*, Magistratuum *subordinatorum*, invenit, cujusvis *Monarchæ* humana *imbecillitas*; quæ nec *omniscia* potest esse, nec *ubiquitaria*, ut singula juxta *leges* determinentur. Unde *Jethronis* ad *Mosen* obtinuit ferè ubiq; de *vicariis subordinatis* Consilium; nec *Majestati* convenit *minoris* momenti *Liticulis* se immiscere, quæ dexteriùs plerunq; per *pares*, aut alios *deputatos* transigantur. Exod. 18.

7. Sine *delectu* interim *sagacissimo*, non promovendus est quilibet, ut *Magistratus* Tribunal ascendat. Sed 1. *Religiosus*. 2. *Legum* gnarus. 3. *Prudens*. 4. *Animosus*. 5. *Senatoria* imbutus *gravitate*, & constantia. 6. Odio habens *Avaritiam*, cæteris est præferendus. quinimò 7. Ditiores indigis (cæteris paribus) sunt hac ex parte præponendi, quos *paupertas* neutiquam cogat ad *turpia*, ut *vænalem* habeant *justitiam*.

πλουτίνθην καὶ ἀριστίνθην αἱρεῖσθαι δεῖ ἄρχοντας. Pol. l. 2.

8. Horum *Constitutio*, recepto aliquo *ritu*, *more*, aut *diplomate* (prout res exigit) debito *loco* & *tempore*, est manifestanda; ut jure constet illos fratribus esse *prælatos*, & quousq; submittendum sit ipsorum *fascibus* & *authoritati*.

9.

9. *Ordines* ſeu Claſſes *Magiſtratuum* in variis rebus publicis, non mirum videtur ſi occurrant *varii*; è quibus *Syndici*, *Scabini*, *Laico-preſbyteri*, rebus ſacris ſe nimium immiſcentes: noſtris *Dictionariis* ſunt ignota nomina. Noti interim perſtant, 1. *Epiſcopi*. 2. *Conſiliarii*. 3. *Iudices*. 4. *Exercituum Ductores*. 5. *Nauvarchæ Maris*. 6. *Irenarchæ Terræ*. 7. *Scholarchæ* in Academiis & *Scholis illuſtribus*, *præſides* qui *Monarchæ* cujuſvis *Thronum* coronant & ſuffulciunt.

10. *Authoritas* Magiſtratus ſubordinati αὐτοκεφαλὲ, ſive *Independens* non eſt *ferenda*. Neq; enim ſine *Majeſtatis* diminutione talem concedat *Monarcha*, nec *ſubditi* eſt *ambire*; ſufficiat igitur *Limitata*, & à principis plenitudine *pendula*, undè ab *Inferiori* ad ſuperiorem, Juſta & aliquoties neceſſaria pateat *appellatio*.

11. *Officiarii*, ſunt *ſtipatores* ſive *neceſſarii*, ſive *Honorarii*, qui *Magiſtratibus* publicè famulentur & debita præſtant *obſequia*, quales ſunt *Regum*, *Cancellarii*, *Theſaurarii*, *Camerarii*, &c, Judicum & aliorum *Amanuenſes*, *Lictores*, *Emiſſarii*, pro *Loci* & muneris *amplitudine*, aut exigentiâ. Nec

12. *Præmia*, deeſſe debent in bene conſtituta republica, quibus calcaria addantur *bene merentibus*, & *Tardiores*, ad res *præclaras* aggrediendas excitentur. Honos artes alit, & ſimultates plerunq; comitantur, *dignorum* neglectum, & indignorum *faſces*. Nam ut in *Scholis*, ſic in *Brabiis diſponendis*, non probatur (ut loquuntur)

per

per *ſaltum aſcenſus*. Neq; conſultò ad magnificæ puppis clavum ad movetur talis, qui in *Scapha*, qualis ſit *Remi* uſus, nunquam intellexerit.

QUÆSTIONES.

An
1. *Liceat Magiſtratum ambire, aut inde lucrum captare?* Neg.
2. *Eligatur invitus quiſpiam ad Magiſtratum?* Aff.
3. *Adoleſcentes aut indigentes ad Magiſtratum gerendum ſint Idonei?* Neg.
4. *Magiſtratus judiciarius ſtatuatur eſſe hæreditarius?* Neg.
5. *Authoritas independens alicui ſubdito à Rege ſit concedenda?* Neg.
6. *Teneatur Pater filio Magiſtratui obſequium præſtare?* Aff.
7. *Obſequium Magiſtratibus debitum, primæ potius Tabulæ ſit mandatum, quam ſecundæ Officium?* Aff.

TRACTATUS IV.

De Subditis.

1. PARUM valebit *Magistratuum* Integritas, nisi accedat *Subditorum* debita *observantia.*

2. *Subditus* igitur agnoscatur talis, qui ea est *conditione*, ut sub alterius positus *imperio*, accinctus teneatur esse, ad quodvis injunctum munus, pro loco, tempore, & officio, Reipublicæ causa exequendum.

3. Hujus igitur *expendenda* occurrunt
1. *Conditio.*
2. *Obsequium.*
3. *Onera.*
4. *Immunitates.*
5. *Facultates.*
6. *Affectus in Patriam.*
7. *Contentatio.*

4. In *conditione*, videndum est an qui sic *subjicitur*, sit 1. *Servus*, vel *Liber*, & si *Servus*, an talis

lis ſit, 2. Vel *Natura*, vel *Lege*. 3. Natura, *ſtupidis*, *mutulis*, *Agreſtibus*, ſervorum inurit ſtigma. 4. Lege fit *mancipium*, qui vel *Bello* captus, eſt vel *pretio* conductus, vel pacto ſpontaneo obligatus. 5. *Liber*, vel *ingenuus* is habetur, qui utcunq; ſit nullius *ſervus*, *Supremi* tamen *Magiſtratus* eſt *Subditus*. Hiſce omnibus igitur incumbit *ſubeſſe* (prout res tulerit) Reipublicæ causâ, in qua conſiſtit illorum propria *tranquillitas*.

5. *Obſequia* eorum ſint diſpertita pro cujuſq; *conditione*, & *gradu* vario: ut erga *Superiores*, *Inferiores*, *pares*, *vicinos*, *alienos*, non pro arbitratu proprio, ſed prout, juxta *leges*, Superiores injungunt, obſervanter & officioſe ſe gerant non *pœnæ* metu, ſed *conſcientiæ* causâ.

6. *Onera Tributorum*, *vectigalium*, ſeu *Taxationum*, ob Bonum *publicum libenter* ſubeant. Nec procaciter in *Superiorum* juſſa inquirant, aut *temerariam* de illis ferant ſententiam. Sed *precibus* potius *Magiſtratus*, licet forſan *iniquiores*, Deo commendent: ut Iſraelitis præcepit *Propheta*, de *Nebuchodonozar*, & Filio *Balſhaſar*, Baruch. 1. 12.

7. *Immunitates* interim, *jure patrio* illis ſtabilitas, aut à Majoribus acceptas, aut *Imperantium* gratiâ benignè illis conceſſas, unanimes ſatagunt quibus legittimis poſſunt modis *conſervare*, quod fiat, ea qua par eſt *ſubmiſſione*, & *ſupplicatione* debita, non petulante *protervitate*, & *Rebellione* tumultuaria.

8. Facultates quisq; suas studiosè exerceat, nec immittat falcem in alienam messem, alterius non invadet *peculia*, nec ex damno captet lucrum aut commodum. Audiat à patibulo docti cujusdam monitum

Disce meo exemplo mandato munere fungi,
Et fugias pestem τῆς πολυπραγμοσύνης.

9. Patriæ studeat *Fœlicitati, commodo,* & *dignitati,* pro cujus conservatione glorioſum mori semper ducat. Nec *ritus, merces,* aut *mores* alienigenas depereat leviter, aut *inferat,* aut *extollat* in Domesticorum *Damnum,* aut dedecus.

10 Sorte sua & conditione maneat contentus; fortunatiori non invideat; superiori non detrahat; summatim ista, vel quæ eodem spectant, ad unguem teneat & observet.

Fide Deo, diffide tibi, fac propria, Castas
Funde preces, parvis utere, magna fuge.
Multa audi, dic pauca, tace abdita, disce minori
Parcere, majori cedere, ferre parem.
Tolle moras, mirare nihil, contemne caduca.
Disce pati, & Christo vivere, disce mori.

QUÆST.

QUÆSTIONES.

An
1. *Aliquis sit Servus à Natura?* Aff.
2. *Demagogi Spermologi sunt pestes inter Subditos nocentissimi?* Aff.
3. *A Superioribus impositi tributi, ratio Subditis semper est reddenda?* Neg.
4. *A Subditis vi cogendi sunt Magistratus, ut quod ipsis videtur Reipublicæ commodum, statuto sanctiant?* Neg.
5. *Sine consensu Magistratus Supremi, arma à Subditis sint movenda?* Neg.
6. *Qui patriæ non sit syncerè studiosus, Privilegiis suæ conditioni debitis, justè privetur?* Aff.
7. *Autarceia seu contentatio, sit præstantissimum inter Superiores & Inferiores vinculum?* Aff.

TRACT. V.

De Educatione.

Prov. 22, 6. 1. INSTITUE *puerum* in via qua debet *Ambulare*, & cum *Senuerit* non *recedet ab ea*. Nam

Horat. *Quo semel est imbuta recens, servabit odorem*
Testa diu.

Mens hominis, *Proteus* est; *Mundus*, *Circes* diversorium, hæc igitur cùm sit capax formarum omnium, videndum est ne per istius Philtra & *veneficia*, cum *feris* Latret aut Grunniat. Ergo *Corpus* temperantia; *Appetitus*, assuetudine; *Ratio*, disciplinis; à teneris in proprium & bonum publicum religiosiùs est informandum. Quòd spectat illud *Platonis*, quid leges urges? *Boni* illis non *egent*, *mali* non *obtemperant*, nisi prævia *Educatio* ad *praxin* manuducat. Hanc inculcant *Aristoteles*, *Plutarchus*, alii, non *Philosophi* tantùm, sed *Oratores* & *Poetæ*. incumbit igitur cuivis Politico, *Legibus* & *Magistratibus* instructo, ut id agat præcipuè, ne Subditis pro conditionis statu congrua desit *Educatio*.

2.

2. Talem autem præcipuè conferunt
1. *Institutio Domestica.*
2. *Assuefactio ad virilia.*
3. *Designatio ad congruam aliquam vitæ conditionem.*
4. *Debita castigatio.*
5. *Liberior in Gymnasiis publicis effigiatio.*
6. *Matura conjugalis copula.*
7. *Dignitates bene-merentibus assignatæ.*

3. *Domestica* quantùm valet *institutio*, ostendunt duo *Lycurgi*, apud *Plutarchum*, catelli, è quibus *hic* se recipit ad *ollam* lingendam, dum *alter* in amborum conspectu *feram emissam*, persequitur. sic pietas *Timothei*, eloquentia *Gracchorum*, maternæ ascribitur *pædagogiæ*,

——— *Adeo à teneris assuescere multum est.*

Prospiciat igitur noster *Politicus*, ut à crepundiis (quantum fieri potest) *puerulis* inculcentur *virtutes:* ne *Blasphemiæ*, *Turpiloquium*, *Cantiones obscœnæ*, illiberales, & aniles *nugæ*, quas à famulis spurcis, aut ab aliis male feriatis, arripiant, antevertunt salubriora, & *adolescant* cum illis, & *senescant* in totius Reipublicæ detrimentum.

4. Quod *Timotheo* igitur suo præcepit *Doctor Gentium* σὺ κακοπάθησον, *Tolerans* esto, *quamcunq́*, *difficultatum*, ut *miles Christi strenuus*; ad hoc à *cunis* Infantes sunt adaptandi. Nam 2. Tim. 2. 3.

Qui cupit optatam vitæ contingere metam,
Multa tulit, fecitq́, puer, sudavit & alsit.

Ab aspera tali, & rigidiori *Chyronis* disciplina prodiit iste πόδας ὠκὺς *Achilles* in *Troiæ* excidium, & *Poetarum Apotheosin*. Et unde ipsius accincti *Myrmidones*, nisi ex transformata *formicarum* diligentia?

Non jacet in molli veneranda scientia lecto,
Nec recubat placido sacra Minerva toro.

5. Institutus autem, & quasi tali *assuetudine* induratus, examen subeat noster Tyro, cui vitæ conditioni videatur accommodatior, siquidem

Tu nihil invitâ dices faciesve Minerva.
----- Non omnis fert omnia tellus.

Expendendum igitur, Quid *valent humeri*, & quid *ferre* recusent.

Et quoniam ex quovis *Ligno* non fit *Mercurius*, exasciandus est *Vulcanus*, *Pan*, aut *Mars*, vel quivis alius, pro ratione substratæ materiæ, modo aliquid tandem *prodeat*, quod *prosit* Reipublicæ. Otiosum enim aut nulli attentum negotio, non tulit in sua Republica sagax *Amasis*; Nam qui ex *Ephebis* non se comparavit, ut esset Patriæ *Scipio*; non mirum est si degeneret in *Verrem*, aut *Catilinam*. Discutit autem hic *tergiversantem*, & moras *nectentem* veternum

6. *Tempestivus* & *debitus Castigationis* stimulus.

Prov. 13. 24. *Qui enim virgæ parcit odit filium.* Nam *Verbera sunt præcepta fugæ*, sunt verbera fræni; ut appositè quidã 1. & sicut equus ferociens qui *poppysmo* non mitigatur, *pabuli subtractione* aliquoties

Aurel in venat.

ties cicuratur; sic cum fœnum in cornu gerat noster *Taurellus*, ex injectis quibusdã catenulis, & immissis *Molossis*, citò dimittuntur ei spiritus. Castigatio interim ista, non sit *sæva*, licet seria, quæ non *mutilet*, sed *mutet* nostrum *Onagrum* in *Equum gradarium*.

7. Nec satis est liberali ingenio, *Domestica* quævis *Institutio*, aut *correctio*, nisi accedat *publicum* & *spacioſius* ad res gerendas *curriculum*.

Tum Generoſus equus reſerato Carcere, curit,
Cum quos prætereat, quoq́, ſequatur habet.

8. Siquidem stimulos nescio quos *exacuit* inter pares *æmulatio*. *Miltiadis* Trophæa, *Themistoclem* dormire non permittant: & *Achillis* præconia, *Alexandro* excutiant Lachrymas. Adde quod in *Scholis* publicis, non interveniant *famuli* sycophantæ, non *gynicæum* ad deprecandum (quod domi frequenter accidit) sed pro arbitratu *sceptrum* exercet *Orbilius*, & aliquoties castigatur *ingenuus*, ex conspectis *socii* plagis.

9. Unde ex *Ephebis* tandem emergens, & donatus *rude* noster *Politicus*, ne oberret *vagus* in præcipitia; forsitan desiderato aliquo pro statu & conditione, Matrimonii vinculo tempestivè cohibeatur. Nisi alias, *Peregrinationi*, *militiæ*, aut *vitæ solitariæ* se addixerit, quod comparatis sic à *natura*, aut propellente *genio* non est denegandum. Conjugatus autem, in *Oeconomicis* habeat quod agat, & undè ex disposita providè *re familiari*, paratior ad Reipublicæ accedat *Administrationem*.

10. Hic autem ad *conatus heroicos* alas addant, Exposita à *Nomotheta*, *prudentibus*, *doctis*, & *industriis*, præmia. Sic *Theologos* erigunt *Graduum* tituli, promotiones *Academicæ*, & *Prælaturæ* Ecclesiasticæ: *Juristas*, Tribunalium illustres *Jurisdictiones*: *Medicinam* apud *Athenienses* non floruisse asserit *Aristophanes*, quia *sostra* nulla erant isti facultati proposita: unde *Epigrammatista*

In Pluto
ὂυ μίσθος
ὂυ τέχνη.

Sint Mecænates, non desint Flacce Marones,
Virgiliumq́; tibi vel tua rura dabunt.

Videant igitur *Sacrilegi Impostores*, qui in Bona *cultui divino*, aut *Musis*, præsertim in *Academiis*, dicata, execrandos inferunt ungues; quam *Ecclesiam*, & *Rempublicam* sint habituri, quas non vicini tantùm, sed *Pagani* Naso suspendeant.

QUÆST.

QUÆSTIONES.

An
1. *Educatio ſit altera Natura?* Aff.
2. *Fœlicius domi, quam in Scholis publicis pueri inſtituantur?* Neg.
3. *Probanda ſit in Scholis Orbiliana tyrannis?* Neg.
4. *Cælibatui à Politico aliquis honor debeatur?* Neg.
5. *Platonica vxorum communitas ſit excuſanda?* Neg.
6. *Sublatis præmiis ſi acceſſeret virtutis Induſtria?* Aff.
7. *Religioni & literis dicata, non tam poſſidentis ſunt pro tempore, quam Eccleſiæ & Reipublicæ hæreditas?* Aff.

TRACT.

TRACT. VI.

De Exercitiis & Recreationibus.

1. CITO deficit *Habitus* ex pluribus *dispositionibus* contractus & probè fixus (ut tradunt *Scholastici*) nisi jugi *exercitatione* & *praxi*, excitetur & refocilletur: unde post maturam *Institutionem*, exercitium requirit *Plutarchus*; ut à *Natura* promptum ingenium & à disciplina affabre dedolatum, *Complementum* tandèm in *Praxi* consequatur.

Interpone tuis interdum gaudia curis,
Ut possis animo quemvis sufferre laborem.

2. *Exercitia*, autem talia à nostro *Politico* sic disponantur, ut Laxamentis quibusdam condiantur. quæ non tantùm *licita* sint, & in se *decora*, & *honesta*, sed ita ordinata & accommodata *Reipublicæ* conditioni, ut ex *Ludicris exercitati*, ad *Seria* promptiores evadant.

3. Ex hisce verò quædam *Pueritiæ* & *Adolescentiæ*; Alia *Provectioribus*, & tantùm non *Capularibus* competant, quin & ratione *complexionum*, & *Affectuum*, aliis *Mars*, aliis *Mercurius*, est in delitiis. Et

Imberbis

Imberbis Juvenis tandèm coſtode remoto, *Horat.*
Gaudet Equis Canibuſq́, & aprici gramine campi,
Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper.

4. Quo magis enitendum eſt *Politico*, ut tam æquabilis in ſingulis ſtatuatur *Moderatio*, qua ſingula in Bonum *publicum* tanquam in *Centro* deſtinato concurrant.

5. *Gymnaſtica* ſive *Iocoſeria* hujuſmodi poſſunt eſſe vel
1. *Plebeorum, Ruſticantium.*
2. *Oppidanorum, Cohabitantium.*
3. *Scholaſticorum*, ſive *Academicorum.*
4. *Generoſorum, & Nobilium.*
5. *Procerum*, ſeu *Magnatum.*
6. *Aulicorum*, cum *Palatinis.*
7. *Regum*, ſive *Principum.*

6. *Plebeorum pueris non denegetur exercitium,* *Perſius.*
Ne quis callidior Buxum torquere flagello..

2. Nec pila *Palmaris* à *Galeno* laudata. 3. Nec pila *pedalis* quæ in morem *præliantium*, à *robuſtioribus* (præſertim *Devonienſibus* noſtris) nimium hoſtiliter aliquoties exagitatur. 4. Qui *Perticis* etiàm & *fuſtibus* (ut pugiles ſe tundent invicèm. 5. Dùm alii (præ cæteris *Cornubienſes*) *paleſtricis* certaminibus. 6. Alii in *Sagittas Baliſtas*, aut *Bombardas* certò ſcopò deſtinandis, peritiam oſtentant. 7. Spectantibus interìm *parentibus* aut grandævis emeritis, qui nonnunquam etiam moderato *globorum* uſu torpentes reficiunt ſpiritus.

7. *Oppidani* & cives, ratione *contignationis*, hiſce

hiſce frequentius addunt, (hyeme præſertim) *aleæ, chartarum pictarum*, & *latrunculorum* Ludicra, quæ *caperati* nonnulli prorſus damnant, licet alii, ex iſtis *moralia* quædam elicerent. Optandum profectò erat, ut hiſce omnibus (quemadmodum & *commeſſationibus*) arctiores ſtatuerentur limites, ne *oblectamenta*, in ſcandala, & *ruinam* multorum erumperent.

Conſule Daneum *de Luſu Aleæ. Et Innocentii 3. de Scacario moralitates.*

8. *Scholaſticis* interim, & *Academicis*, *Ambulacra*, *arcus*, *piſcationes*, convenientiùs indulgeantur, canibus illis interdictum eſt ne *venentur*, & permittuntur *retia*, ut intelligant (gloſſat quidam) *clamores* illos non decere, ſed ut implicent potiùs quos capiunt, non delineant.

9. *Generoſi* & *Nobiles*, *venationibus*, *aucupiis*, *Hyppodromicis*, & *cæteris* (ejuſdem cenſus) fortitudinis ſpeciminibus, liberiùs ſe ad arma decretoria adaptent: cavendum interim eſt, ne ex *Canili*, aut *Ornitrophiis* nimium ſaginatis, *Acteonis* incurrant ſortem. aut ex *Alectriomachiis*, & *Hyppodromicis*, diminuatur Hoſpitum, vel domeſticorum demenſum, aut *pauperum* exſpectata *Eleemoſyna*.

10. *Proceres*, & *Magnates* in *Armiluſtriis*, *Haſtiludiis* & *Architectonicis* quibuſvis extruendis, magnificentiùs ſe oblectent. Eminent hic præ cæteris, qui *Equorum Bellicorum*, & *Armorum*, omnifario apparatu, in *Regum* aut *Reipublicæ* diſcrimine, cataphractas producant turmas.

11. Inter *Aulicos*, utcunq; forſan hodiè pauciores inveniantur, qui congerunt *prudentium*

tum *Proverbia*, & *Apothegmata*, (ut *Hezekiæ* olim fecerunt famuli) conſulunt *tamen* cum *Ioſepho* qua ratione impendentibus malis ſit proſpiciendum, vel cum *Chuſai* ad Elidendam *Achitophelis* perfidiam, vel cum *Obadiah* ad *ſuccurrendum quæſitis* ad exterminium *Prophetis*: neq; ab hiſce pietatis & probitatis *cupediis*, illos abducant (ſuo loco licita) *Theatri*, vel alterius *pompæ* magnificentiſſima *ſpectacula*. Prov. 25. 1

12. *Regibus* verò, & *Principibus*, qui præſcriberent *laxamenta*, næ iſti perpetuis vinculis meritò ſunt addicendi. *Torniamenta* autem illa, vel certamina *terreſtria*, & *marittima*, apud *Antiquos* celebrata, vel propter varia ex iis *diſcrimina*, vel *ſumptus* minus rectè collocatos, vel ob alias cauſas *latentiores*, in uſu hodie deſierunt eſſe; ut *Venationes*, *Aucupia*, *Haſtiludia*, non minori cum voluptate, ſed majori compendio locum ipſorum obtinerent. Hiſce, vel (id genus) ſublimioribus, regale eſt, *Principem*, tot *anxietatibus*, & *negotiorum* molibus quaſi incurvatum, heroicè ſe erigere, dum *Circulatores*, *Agyrtas*, *ſun-ambulos*, *Moriones*, *Ambubaias*, *Mimos*, *Balatrones*, à Reipublicæ rectè conſtitutæ Scænis & *Choreis* exulere jubeat.

QVÆST.

QVÆSTIONES.

An
1. *Feriæ non tantum Religionis ſed recreationis causâ à legiſlatore conſtituantur?* Aff.
2. *Choreæ adoleſcentum cum virginibus ſint permittendæ?* Aff.
3. *Aleæ Luſus ſit penitus è Republica exterminandus?* D.
4. *Ludi ſcænici ubi viri fœmineis induuntur veſtibus ſint probandi?* Aff.
5. *Duella in quavis rectè inſtituta Republica prorſus ſint interdicenda?* Aff.
6. *Ex conſpectis Beſtiarum certaminibus liceat hominibus ſe reficere?* Aff.
7. *Ex Muſica probata, & Picturis in pretio, genius incolarum & Reipublicæ ſtatus, aliquo modo innoteſcat?* Aff.

TRACT.

TRACT. VII.

De Commercio cum Exteris.

1. HACTENUS habuimus *Politicum* intra *proprios Cancellos* occupatum; Nunc de *Exteris* circumſpiciendum, inter *quos*, & *illum* interveniat *Commercium.*

2. *Commercium* illud *Natura* non tantum *promovet*, ſed pænè reddidit *neceſſarium.* Neque enim *omnis fert omnia tellus*, ut norunt omnes.

------ *Nonne vides, croceos ut Tmolus odores,*
India mittit Ebur, molles ſua Thura Sabæi?

Virgil. Geor. 1.

quæ ſingula in *vniverſi* non cedant commoda, niſi per prudenter *inſtitutum*, & ſollicitè *obſervatum* diverſarum *Rerum publicarum* Commercium.

3. Horsum spectant
1. *Legationes.*
2. *Fœdera.*
3. *Exportata.*
4. *Importata.*
5. *Peregrinorum Admissiones.*
6. *Coloniarum deductiones.*
7. *Religio.*

4. *Legati*, 1. sint Primores *selecti*, *pii*, *prudentes*, rerum usu *maturi*, qui non mittuntur ad mentiendum Reipublicæ causa, (ut *Scoptice* blaterat quidam *rabula*) sed ad deliberandum vel determinandum de gratissimis Rerum-publicarum negotiis. 2. Hi solent esse vel *Residentes* in Aulis Principum, ut Dominis quid illic rerum geritur tempestivè referant, vel *Extraordinarii*, prout res tulerit instructi, ad majoris momenti negotia transigenda. 3. Utrisq; *jure Gentium* debet esse inviolata immunitas, ut liberè proferant quæ habent à *Dominis* in Mandatis.

5. *Fœdera*, sunt 1. *mutuæ* & *solennes* inter diversas Respublicas *sponsiones*, sacramento aliquo consignatæ. 2. Quæ vel *Collybistica* tantum habeantur, de commodis emendis, aut vendendis; vel *Auxiliaria*, de hostibus depellendis, aut invadendis. Ista verò semel sancita, non sub aliquo *Religionis* prætextu, aut non animadversæ *Æquivocationis* subterfugio, perfidè sunt rescindenda, neq; enim ut pueri *Astragulis*, principes cum *juramentis* est ludendum, ut fecit *Lysander*. *Combinationes* interim, aut *Confœderationes* qualescunq;

cunq; inter Subditos, quovis ſymbolo ſtatuminatæ, abſq; *ſupremi Magiſtratus* conſenſu; *conſpirationes* potiùs *nefariæ*, & *rebelles*, quam legittimæ *aſſociationes* ſunt cenſendæ.

6. In *exportandis* proſpiciat *Magiſtratus*, nè *alimenta*, *munimenta*, *veſtimenta*, vel quævis Reipublicæ *Honeſtamenta*, vel *Ornamenta*, transferantur ad *Exteros*, cum *Domeſticorum* detrimento, aut ſcandalo: *fieri* enim poteſt, ut *propriis* transfigantur *pennis*, & ad *paucorum* lucrum luat multitudo.

7. In *importandis* aliarum Regionum *mercibus* circumſpiciendum etiam eſt, ne pro frumento, *fumus*; pro pannis & metallis pretioſis, *Simiæ*, *Pſittaci*, & *Pavonum* caudæ obtrudantur. pro lana, *pili*; ut habetur in *Adagiis*, unde quadret illa χρύσεα χαλκείων, à tot *authoribus* jactata *Clauci* permutatio, qui pro aureis armis, à *Diomede* accepit ænea, quia à Jove (ut addit Pocta) prorſus erat infatuatus. *Plat. Ariſt. Ciser Plutarch. Gellius. Hom. Il 6.*

8. *Peregrinos* verò qui nimium ſecurè admittunt, & civitate donant, perpendant quid viperæ contigit *Herinaceum* hoſpitio accipienti, ſupplex intrat, vires colligit, *poſſeſſorem* deturbat è fovea. Tales *Britanni* antiquitùs, *Saxones* experti ſunt hoſpites, & quamplures alii.

9. *Coloniæ* prudenter tunc deducuntur, cum gravatur ferè Res-publica *Incolarum* numeroſitate, & gemit quaſi *Cymba* ſub pondere. Non invadenda tamen ſunt injuſtè aliorum territoria, ſed aut loca inculta adeunda, aut à *pau-*

cis, aut *Barbaris* possessa, qui rectiùs instituantur, aut bello *subjugata*, & ab hostibus *jure* erepta.

10. Postremò in hoc omnes consentiunt (dissensum saltèm non audent palàm profiteri) quod præcepit ex rationis dictamine *Ethnicus Philosophus*, *primam* cultui divino impendendam esse in Republica *curam*. Sed quibus mediis hoc consentientèr fiet, hoc *opus*, hic *labor*, inter tot Hæretica, vel Schismatica partium studia. ubi teneat tamen generatim Politicus 1. Fidem suadendam esse, non cogendam. 2. Cohibendos esse se ductores, nè imbelles & instabiles pervertant, in *Obedientiæ* & *Charitatis* exterminium. 3. *Tolerandum* illud in *seductis* quod *tolli* non potest, modò sibi ipsis tantùm sapiant, nec moliuntur obsequentiores inficere. 4. Speciatìm verò id agat ardentissimis precibus, & conatibus syncerè devotus *Princeps*, ut quantum fieri potest pro circumstantiarum varietate, *Doctrinæ*, *cultus divini*, & *disciplinæ* Ecclesiasticæ, sarta tecta conservetur *conformitas*. 5. Instituantur *Errones*. 6. Puniantur *Turbones*, 7. Abigantur, *Lupi*, *Vulpes*, & *Serpentes* noxii, ut multitudini credentium sit *cor unum*, & *una anima*, studentium, servare *vnitatem spiritus* in *pacis vinculo*. Quod fixat Deus qui *solitarios* collocat in *familia*, *vinctos* liberat, *Rebelles* in loco *siticulosa* ablegat. cui cum *Filio* & S. S. sit *Omnis Laus* & *Gloria* in secula seculorum. AMEN.

πρώτη ἐπιμέλεια. *Aristot. Polit. l. 7. c. 8.*

Act. 4. 32. Ephes. 4. 3 Ps. 68.

QUEST.

QUÆSTIONES.

1. *Legato orthodoxo liceat mentiri, aut Paganum, aut Hereticum ſimulare, Reipublicæ cauſa?* Neg.
2. *Fœdus cum Ethnicis aut Hæreticis contractum ſit violandum?* Neg.
3. *Hæretici quà tales, ſint morte puniendi, aut ad fidem cogendi?* Neg.
4. *Schiſmatici demogogici ſint præcipui Rebellionum Hamaxarii?* Aff. An
5. *Seditiones Domeſticæ citiùs evertunt ſtatum, quàm vis Externa?* Aff.
6. *Diverſitas Religionum, ſub eodem regimine, ſit approbanda?* Neg.
7. *In cultu externo, arbitraria Liturgiæ, & Ceremoniarum deformitas, perturbant omnia?* Aff.

DE *Polemicis* aliquid hìc eſſet ſubjiciendum, ſed nimiùm in Martis Acheldama jamdudum fuimus cruentati. *Polemica* intuentur *Belli* 1. *Cauſas*, 2. *Apparatus*, 3. *Duces*, 4. *Congreſſus*, 5. *Captivos*, 6. *Spolia*, 7. *Triumphos*. De quibus agunt *peritiores* qui in talibus verſantur.

Nulla ſalus Bello pacem te poſcimus omnes.

vice igitur *Claſſicorum*, amæniora hæc agmen claudant *dictamina paronomaſtica*.

1. Miſer eſt qui *ſeneſcit*, & *ſe neſcit*.
2. Qui putat *ſe pulchrum*, petit *ſepulchrum*.
3. Qualis *vita*, finis *ita*.
4. *Vix eris*, dum *vixeris*.
5. *Inſipiens* eſt *Incipiens*, qui *de fine* nil *definit*.
6. In fidei dogmatibus qui *ſe ducit*, *ſeducit*.
7. Fœlix qui inter *legendum*, optima *ſelegit*, & in illis *ſe legit*.

1. Ne ſis *Tu multus*, inter *Tumultus*.
2. *Inſana bilis*, *inſanabilis*.

3

3. Miſer eſt qui *regit*, & *re eget*.
4. Qui auget *Dolo rem*, auget *Dolorem*.
5. Pauperes *cenſu*, divites poſſunt eſſe *ſenſu*.
6. *Ditiſſimi* poſſunt eſſe *perditiſſimi*.
7. Non cum *Ieſu itis*, itis qui cum *Ieſuitis*.

1. *Magnates* debent eſſe *Magnetes*, qui *ſuavi* ſuâ *vi*, inferiorum trahant corda *ferrea*, *ferre ea*, ad quæ alitèr *ferociant*.
2. Calami hujus *ætatis*, ætatis hujus ſunt *calamitates*.
3. Stultitia eſt *inſignis*, *in ſignis* res *negligere*, nec *legere*.
4. *Regulares* Monachi ſunt *re gulares*, qui *petunt*, ut *potent*; *mendicant*, ut *manducent*; & *Miſſam* celebrant, ut *Maſſam* corrumpant.
5. Schiſmaticorum *Religio*, eſt Dæmoniorum *Re legio*, quæ *porcos* in *orcum* agit præcipites.
6. *Rebellio* eſt *Rebellua*, quæ dum *furit*, *vrit*; & dum *orat*, *devorat*.
7. Deploranda eſt iſta *Reſpublica*, ubi primores *ſpirant*, ut *conſpirent*, & *de vitiis* fruuntur *divitiis*, & *perjurium*, *per jurium velamen* in *Amen* transferunt.

Chartæ Reſiduum impleant Diſticha.

1. SI *Niſi* non eſſet *perfectus* quilibet eſſet,
Sunt rarò *viſi* qui caruere *Niſi*.

2. Omnis homo *nihil* eſt, Aliquid qui ſe putat eſſe,
Eſt *Aliquid*, quiſquis ſe putat eſſe *Nihil*.

3. *Diſcere* ſi quæris, *doceas*, ſic & ipſe *doceris*,
Et ſtudio *tali*, tibi proderis, atq; ſodali.

4. *Spernere* Mundum, *ſpernere* nullum, *ſpernere* ſeſe,
Spernere ſe ſperni, quatuor iſta beant.

5. *Mors* tua, *mors* Chriſti, *fraus* Mundi, *Gaudia* cœli,
Et *dolor* Inferni, ſunt meditanda tibi.

6. Linquo *Coax Ranis*, *Cr.s Corvis*, *vanaq; vanis*,
Ad Logicam *pergo*, quæ Mortis non timet ERGO.

7. *Cordi*, non *Chartæ*, tradas quæ noveris *arte*,
Ne ſi charta *cadat*, tua tota ſcientia *vadat*.

OB Argumenti ſimilitudinem viſum eſt ſubjicere *Innocentii Tertii* de *Scaccario Moralitates*, ex *Manuſcripto* publicæ *Bibliothecæ Oxonienſis*, nunquam (quod ſciam) antehac *excuſas*; ex quibus, *Ludens ſpeculetur*, quid *ſeriò* in *practicis* ſit perpendendum. Quod & in *chartis* luſoriis obſervauit nuper *Ingenioſus* quidam è *Noſtris*. Nec Ludant ſanè operam, qui ut *Apes* ſedulæ & peritæ, ex *herbis* quibuſdam

dam *graveolentibus* mella exſu-gunt, & conſtipant.

Moralitas de Scaccario

Secundum Dominum INNOCENTIUM *tertium.*

MUNDUS iſte totus quoddam *Scaccarium* eſt, cujus unus *puncti* eſt *Albus*, & alius *Niger*; propter *duplicem* ejus *ſtatum*, *Vitæ* videlicet & *Mortis*, *Gratiæ*, & *Culpæ*. Familia hujus *Scaccarii* ſunt homines hujus *Mundi*, qui habent diverſa nomina. Unus enim dicitur REX, alius REGINA, tertius ROKUS, Quartus MILES, Quintus ALPHINUS, Sextus PEDINUS. Iſtius autem *joci* conditio talis eſt, ut *Alius alium capiat*, & cum Ludum compleverint, ſicut de uno *Loco* & *Sacculo* exierint; ſic in uno loco iterum reponuntur. Nec eſt differentia inter *Regem* & pauperem *peditem*, quia ſimul in unum, *Dives* & *Pauper*; & ſepè contingit, quod cum familia

milia *Scaccarii* reponitur in *Sacculo*, REX inferiùs collocatur; ſic *Majores* quoq; in *tranſitu* ex hoc *Mundo*, in *Inferno* ſepeliuntur, & *Pauperes* in Sinum *Abrahæ* deportantur. In iſto autem *Ludo*, REX vadit *circumquaq;*, & capit *unumquemq;* ſemper directè, in ſignũ, quod omnia *juſtè* capere debet REX & in nullo (amiſſa juſtitia omnibus exhibenda) debet obliquare. Sed modo quicquid agit *Juſtitia* reputatur; quia *Quicquid placet principi, legis habet vigorem.* REGINA quidem *rectè* capit, & vadit *obliquè*, quia cum *amariſſimum* ſit genus Mulierum, quicquid capit, niſi merè detur, ex gravi *rapina* eſt, & *injuſtia.* ROKUS eſt *Juſtitiarius perambulans* totam terram *directâ* tantum *linea* ita quòd *Juſtitiarius* obliquè nil capiet muneribus *corruptus*, ſed omnia juſtè corrigat, nulli parcens, Nec æquè de illo jam verificetur illud *Amos Prophetæ, convertiſti* in *amaritudinem judicium*, & *fructum juſtitiæ in Abſynthium.* MILES verò in capiendo duo *puncta* tranſit directa, & *tertium* obliquat: In ſignum, quod MILITES & *Domini* terreni poterunt *juſtè* capere redditus debitos, & juſtas *Emendas* à delinquentibus, ſecundum exigentiam *delicti:* ſed *tertium* punctum obliquant, cum *Taliagia*, & injuſtas exactiones extorquent à ſuis ſubditis. *Alphini* qui currunt ſunt *Epiſcopi*, non ut *Mons* ex *colloquio* divino, ſed potiùs ex *Regio* imperio prece & pretio *ſublimati.* Iſti ALPHINI obliquè

currunt

currunt, & capiunt tria puncta pertranſeundo, quià ferè omnes *Prælatos* pervertunt *Odium*, *Amor*, & *Mulierum* favor, nè *delinquentes* reprehendant, & contra vitia latrent: ſed potiùs *annuo cenſu* peccata ad *Firmam* tradunt, & ſic *Diabolum* ditant: dùm qui debuerint eſſe vitiorum *Extirpatores*, jam per cupiditatem facti ſunt vitiorum *Promotores*, & Diaboli *Procuratores*. PEDINUS verò *Pauperculus* eſt, qui incedendo ſemper vadit *directè*; in ſua ſimplicitate, & paupertate directè vivit. Sed cum quærit aliquid *temporale*, vel honorem conſequi, ſtatim Mendaciis, perjuriis, adulationibus, & favoribus obliquat, quouſq; ad ſuperiorem gradum *Scaccarii*, ſcilicet Mundi, pervenerit. Et tunc de *Pedino* fit [FERTE] & poſteà *tria* puncta pertranſit. Sic *Pauper* cum elevatur, *perversè* incedit ſtatim quia

Aſperius nihil eſt humili cùm ſurgit in altum.

In iſto *Scaccario* Diabolus dicit [CHECKE] inſultando alicui, percutiendo ipſum *peccati* jaculo, qui ſic percuſſus niſi citiùs dicat [NEC] ad proximam currendo, dicit ei *Diabolus* [MAYTE] animam ejus ſecum ad *Tartara* deducendo, à quo non liberabitur *prece* vel *pretio*, quia ab *Inferno* nulla eſt *Redemptio*. Et ſicut *venator diverſos* habet *canes*, ad capiendum diverſas *Beſtias*: ſic *Diabolus* & *Mundus* habent diverſa *peccata*, quibus diverſimodè homines illaqueant

illaqueant. quia omne quod est in *Mundo*, aut est *Concupiscentia carnis*, aut *Concupiscentia oculorum*, aut superbia vitæ.

Explicit Moralitas de
SCACCARIO.

FINIS.